DE VOCUM QUAE SUNT SCELUS FLAGITIUM FACINUS APUD PRISCOS SCRIPTORES USU.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

MAXIMILIANUS REICHENBECHER

KAHLENSIS.

WEIDAE

TYPIS THOMAE ET HUBERTI

MCMXIII.

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

Jena, den 2. Mai 1913.

B. Bauch,
d. Z. Dekan.

PARENTIBUS · CARISSIMIS
SACRUM

Recentissimis temporibus cum multi viri docti in colligendis latinis vocabulis atque in perscrutandis eorum notionibus operam collocaverint, de vocabulis quibusdam frequentissimis quaerere et constituere, quomodo priscae latinitatis auctores iis usi sint, non inutile mihi visum est. Qua ex quaestione etiam propterea fructum capere possumus, quod in libris de synonymia compositis priscae latinitatis sine dubio non satis ratio habita est. Itaque mihi proposui disserere de vi et usu vocabulorum, quae sunt scelus, scelestus, scelerosus, sceleratus, scelerus; flagitium; facinus. In singulis consentaneum est me diligenter adsciturum esse, quaecumque docti ut in annotationibus ad Plautum vel Terentium factis ita in commentationibus peculiaribus de hac re protulerunt.

Auctores quibuscum in hac quaestione nobis res erit sunt: Plautus, Ennius, Terentius, ceteri poetae scaenici veteres, Cato, Lucilius. Inscriptiones illius aetatis nulla omnino exempla huc pertinentia praebent.

Qua in quaestione ne qua pars me fugiat, ita agam, ut quaeram, quae sit etymologia, quae sint significationes et colores, num quae mutatio significationis possit observari, quibus in locutionibus soleat adhiberi, qualis sit usus in ordine verborum, quae denique formae declinationis exstent. Quod ad genus dicendi attinet, omnino omittere possumus; etenim permulta exempla vocabulorum, de quibus agitur, apud comicos poetas occurrunt, pauca tantum in reliquiis fabularum tragicarum servata sunt. Qua de causa, utrum comicorum poetarum usus differat ab usu tragicorum necne, non iam statui potest.

I. Scelus.

a) Scelus. Accedamus ad vocem scelus. De etymologia fusius agere hoc loco supervacaneum esse mihi videtur, cum ut plerumque ita hic quoque ipse vocabuli usus magis valeat ad eruendam etymologiam, quam etymologia ad significationem. Sufficiat in memoriam revocare id, quod proposuit Waldius[1], qui contendit „scelus“ deductum esse a primitivo vocabulo indogermanico sqele*, quod significat „curvare“ vel „flectere“; graecum *σκέλος* ex eadem radice ortum esse; sed inest radici sqele* etiam notio curvatorum, ut ita dicamus, morum, i. e. notio mali et pravi, quae latino continetur vocabulo „scelus“.

Inquirentibus nobis de vocis „scelus“ vi optime accidit, quod nonnullos locos, afferre possumus, ubi ex sententiarum conexu dilucide apparet, quae res notioni sceleris subiciantur[2].

Ba. 782: Omnia rescivi scelera ex Mnesilocho tua.

Quibus verbis Nicobulus senex in Chrysalum servum invehitur, qui ficta narratione illum deceperat.

Merc. 208/9: Post autem mihi
Scelus videtur me parenti proloqui mendacium.

Sti. 71/2: Gratiam a patre si petimus, spero ab eo impetrassere;
Advorsari sine dedecore et scelere summo haud possumus.

Rud. 198: Sed erile scelus me sollicitat, eius me impietas male habet.

Pertinent haec verba a Palaestra muliere facta ad Labracem lenonem, qui Plesidippum adulescentem frustratus

---

[1] Walde, Lat. Etymologie², p. 686.

[2] Glossae scelus ita interpretantur: scelus = *ἀνομία, ἀσέβημα, μύσος* Corp. gloss. II, 179, 52; facinus, *ἀνομία, δυσσέβεια* III, 463, 23; facinus vel malum IV, 389, 28; crimen IV, 168, 48; scelera = flagitia vel crimina IV, 168, 14; V, 147, 18. Cum autem glossarum plurimae ad incertum tempus redeant iis in hac quaestione niti non licuit.

cum meretricibus navem conscenderat, ut in Siciliam veheretur; sed tempestate orta navis eius fracta est.

Rud. 1178/9: Ecce Gripi scelera! quom istaec res male evenit tibi,
Gripe, gratulor.

Gripus vidulum piscatus, qui meretricis erat, sibi vindicabat.

Andr. 558/60: Priusquam harum scelera et lacrumae confictae dolis
Redducant animum aegrotum ad misericordiam,
Uxorem demus.

Ennius (Medea) 284/6 (Vahlen):

Iuppiter tuque adeo summe Sol, qui res omnis spicis,
Quique tuo ⟨cum⟩ lumine mare, terram, caelum contines,
Inspice hoc facinus, priusquam fiat, prohibesseis scelus.

Quibus versibus intellegitur, sceleri subici fraudem, furtum, immodestiam, despicientiam parentum, scortorum quaestum, parricidium. In universum igitur statui potest scelere contineri id, quo mores vel leges vel religio violantur[1].

Notio sceleris affinitate quadam coniuncta est cum notione impietatis; non satis recte igitur Doederleinius[2] contendit scelera esse opera ex malitia nata. Immo vero imprimis nata sunt ex impietate. Quae res probatur exemplis his:

Rud. 198: sed erile scelus me sollicitat, eius me impietas male habet.

---

[1] Liceat afferre, quomodo Ramshorn [Latein. Synonymik, I p. 296] qui ut ceteri viri docti imprimis auream quam vocamus latinitatem respicit, „scelus" describat: scelus: eine ruchlose, verruchte Tat, ein mit Verachtung der Gesetze, der Religion, und eigener Schande unternommenes Verbrechen, auch die demselben zugrunde liegende Bosheit und Verworfenheit selbst. — Quod attinet ad dedecus, nusquam in prisca latinitate hic color elucere mihi videtur. De significatione „Bosheit" v. p. 8.

[2] Doederlein II p. 141, scelus ist ein Vergehen gegen andere, gegen das Recht einzelner oder den Frieden der Gesellschaft durch Raub, Mord, namentlich durch Aufruhr (cuius rei apud priscos auctores nullum exstat exemplum), kurz durch Äußerungen der malitia.

Rud. 618/9: Vindicate, ne impiorum potior sit pollentia
Quam innocentum, qui se scelere fieri nolunt nobiles.
Most. 504: scelestae hae sunt aedes, impiast habitatio.
Adelph. 304: o scelera! o genera sacrilega! o hominem impium!
Eun. 643: ubi ego illum scelerosum misera atque impium inveniam?

Addere possumus etiam:

Rud. 26/7: Facilius si qui pius est a dis supplicans
Quam qui scelestust inveniet veniam sibi.
Ba. 1176: Abin a me, scelus? — Sine, mea pietas, te exorem.

Consilio fortasse poeta „scelus" et „pietas" ut nomina appellativa alterum alteri opposuit. Quam rationem inter „scelus" et „impietatem" intercedentem primus, quantum video, observavit Pareus[1]; neque Habichtium ea fugit[2].

Violari possunt leges et animo et facto. Itaque discernenda sunt exempla, quibus malus animus et quibus malum factum scelere significatur. Perlustratis autem omnibus priscae latinitatis exemplis frustra locum quaerimus, ubi re vera scelus nihil esse possit, nisi id, quod vernaculo sermone dicimus „Bosheit, Verruchtheit". At contra ubique — si excipimus locos tres, Capt. 762, Men. 322, Eun. 326, ubi proprium colorem scelus exhibet, neque tamen malum animum notat — convenit notio mali facti. Principalis igitur significatio erat mali facti: posteris demum temporibus vis mali ingenii voci subiecta est. Quae res optime quadrat ad legem

[1] Pareus, Lexicon Plautinum, 1614; s. v. scelus: Praeterea omnis impietas omneque factum impium scelus est: ut contemnere divos, prodere patriam, non alere aut non colere parentes et propinquos.

[2] Habicht, Synonym. Handwörterbuch d. lat. Sprache f. angehende Philologen, 1829, § 307, s. v. scelus: Frevel oder Missetat überhaupt, wird besonders von boshaften Vergehungen und Verbrechen gegen Verwandte, Staat, Religion und deren öffentliche Anstalten und Sicherheit gebraucht. Die dadurch beurkundete Gesinnung heißt impietas — ἀσέβεια, so wie pietas edle Denkart und Äußerung derselben in Absicht auf Verwandte, Staat und Religion ausdrückte.

linguae antiquam, qua notiones concretae quae vocantur primae vocibus significabantur.

Mala facta notantur:

Aul. 824/5: Egone te emittam manu,
Scelerum cumulatissume?

Ba. 782: Omnia rescivi scelera ex Mnesilocho tua.

Mer. 209: Scelus videtur me parenti proloqui mendacium.

Mil. 330: nescio quae te, Sceledre, scelera suscitant.

Most. 475/6: Capitale scelus factumst. — Quid est? non intellego.
Scelus, inquam, factumst iam diu antiquom et vetus.

Most. 478: Quid istuc est sceleris aut quis id fecit? cedo.

Pers. 558: Nona iniuria, decumum, quod pessumum adgressust, scelus.

Rud. 198: Sed erile scelus me sollicitat, eius me impietas male habet.

Rud. 327: Is huc erum etiam ad prandium vocavit, sceleris semen.

Rud. 619: — innocentum, qui se scelere fieri nolunt nobiles.

Rud. 651: Fraudis, sceleris, parricidi, periuri plenissumus.

Rud. 1001: Quod scelus hodie hoc inveni.

Rud. 1178: Ecce Gripi scelera.

Sti. 72: Advorsari sine dedecore et scelere summo haud possumus.

Andr. 558/9: Priusquam harum scelera et lacrumae confictae dolis
Redducant animum aegrotum ad misericordiam.

Adel. 228/9: o scelera! illud vide,
Ut in ipso articulo oppressit.

Adel. 304: Hocine saeclum! o scelera, o genera sacrilega, o hominem impium!

Haut. 956: Quodnam ob factum? Quid ego tantum sceleris admisi miser?

Ennius, scen. 286 (Vahlen):
Inspice hoc facinus priusquam fiat, prohibesseis scelus.

Ennius, scen. 327 (V.), Teucer:
Eandem me in suspicionem sceleris partivit pater.

Ennius, scen. 351 (V.), Thyestes:
Tanta vis sceleris in corpore haeret.
Accius, 219 (Ri)[1]: Epularum fictor, scelerum fratris delitor.
Accius 599/600 (Ri): Iussit proficisci exilium quovis gentium,
Ne scelere tuo Thebani vastescant agri.
Lucilius 279 (M)[2]: hanc ubi vult male habere, ulcisci pro scelere eius.
Lucilius 690 (M): Proferam ego iam vester ordo scelera quae in se admiserit.
Incert. fragm. trag. 110 (Ri): Ob scelera animique impotentiam et superbiloquentiam.

Tres inveniuntur loci, et quidem in enuntiatis interrogativis vel exclamativis, ubi proprium colorem „scelus" exhibet; dico versus hos:

Capt. 762/3:[3] Maior potitus hostiumst. Quod hoc est scelus?
Quasi in orbitatem liberos produxerim.
Men. 322/3[3]: Quod te urget scelus,
Qui huic sis molestus?
Eun. 326: Quid hoc est sceleris! — Perii. — Quid factumst?

Notio mali facti hoc loco non satis convenit; ut Brixio et Lindsayo ita mihi quoque significatio hic prope accedere videtur ad significationem adiectivi „scelesti", de qua postea agetur (cf. p. 25 sq.); germanice forsitan vertamus: „unglückselige Sache"; quamquam me non praeteriit Donatum de hac re aliter sentire[4].

---

[1] Ribbeck, fragm. scenicorum Rom.

[2] ed. Marx.

[3] Brix adnotavit: quod hoc est scelus i. e. quid hoc est infelicitatis (Ter. Ad. 544); cf. Eun. 326. So ist Asin. II, 4, 70 (= 476): sceleste, non audes mihi scelesto subvenire? wo Pl. mit der Doppelbedeutung dieses Wortes spielt. — Lindsay, Capt. 762: Quod hoc est scelus? Ter. 326: Quid hoc est sceleris? — Perii (in same sense as Adel. 544 quid hoc, malum, infelicitatis?) Men. 322: Quod te urget scelus? Similarly the adiect. scelestus is used in se sense of „God-forsaken", e. g. Most. 563 ne ego sum miser, Scelestus, natus dis inimicis omnibus.

[4] Donatus ad Eun. 326: Quid hoc est sceleris: „hoc" propter quod patior, inquit, nunc enim scelus dixit a sene commissum.

Locutio „scelerum caput“ = is, qui inventor, auctor est scelerum et qui malis factis excellit inter ceteros, suo loco tractabitur (vide p. 29sq.): invenitur Ba. 829, Cu. 234, Mil. 494, Pseud. 446, 1054, Rud. 1098.

Cum adiectivo coniunctum „scelus“ raro tantum reperimus, atque id in Plauti fabulis et apud Catonem.

Most. 475: Capitale scelus factumst.

Most. 476: Scelus, inquam, factumst iam diu antiquom et vetus.

Rud. 198: sed erile scelus me sollicitat.

Sti. 72: Advorsari sine dedecore et scelere summo haud possumus.

Cato in Thermum (cf. Jordan, fragm. Cat. p. 42, 7): Sed si omnia dolo fecit, omnia avaritiae atque pecuniae causa fecit, eius modi scelera nefaria, quae neque † fanda neque legenda audivimus, supplicium pro factis dare oportet.

Jordan p. 40, 7: † scelera nefaria †.

Restat, ut disseram de locutionibus e voce „scelus“ et verbo quodam compositis. „Scelus videtur (esse)“ semel in prisca latinitate occurrit.

Mer. 208/9: post autem mihi
Scelus videtur me parenti proloqui mendacium.

„Scelus admittere (in se)“ apud Plautum nondum legimus, semel et apud Lucilium et apud Terentium:

Lucilius 690 (M): Proferam ego iam, vester ordo scelera quae in se admiserit.

Haut. 956: Quid ego tantum sceleris admisi miser?

Non dubium videtur esse, quin haec locutio ad alterius exemplum formata sit, quae est „culpam admittere“, quae verba Plautus non ita raro exhibet; cf. Sti. 84, Trin. 44, 81. „Scelus facere“ primum exstat in Plauti Most. 476: „scelus, inquam, factumst“. Alias id nusquam scriptum vidi. Complures inveniuntur locutiones similes, quae ad illam formandam fortasse valuerunt; cf. facinus facere Most. 459 flagitia facere Men. 605 iniuriam facere Aul. 794. „Scelus committere“, quod in aurea latinitate et postea saepe usurpatur, in prisca linguae latinae aetate nondum occurrit. Immo antiquis illis

temporibus „committere“ semper fere idem est atque „commendare, permittere“. Rarius ita usurpatur, ut id significet, quod vernaculo sermone dicimus „es dahin kommen lassen, daß . . .“; cf. Adelph. 158/9: — non committet, ut vapulet.

A malo facto „scelus“ deinde transfertur ad homines malis factis excellentes et persaepe hoc vocabulo homines increpantur[1]. Ut consentaneum est, plerumque lenones, scorta, servi ita appellantur, rarissimo adulescens, nusquam senex. Differt sceleris nomen infame ab aliis saepe usitatis, veluti mastigia, verbero, carnufex, furcifer eo, quod increpans, si „scelus“ voce utitur, malum ingenium increpati, si reliquis nominibus, poenam, qua dignus est vel quae ei imminet magis apparere vult[2]. Nonnullis locis plane perspicuum est eum hominem appellari „scelus“, qui re vera scelus commisit, veluti: Amph. 557: Scelestam, scelus, linguam abscidam.

Ita Amphitruo Sosiae servo conviciatur, quia dominum falsis verbis ludere videtur.

Ba. 1094/5: Chrysalus me miserum spoliavit,
Is me scelus auro usque attondit dolis doctis indoctum ut lubitumst.

Pers. 743/4: Ego pol te faciam, scelus,
Te quoque etiam ipsum ut lamenteris.

Quae verba Saturio parasitus facit in Dordalum lenonem, qui virginem ingenuam mercatus est.

Andr. 607: Ubi illest scelus, qui me perdidit?

Andr. 665: Char.: Factum hoc est, Dave? – Dav.: Factum. – Char.: Hem, quid ais? O scelus!

Agitur de dolo quodam Davi, qui male evenit et ea de causa in fraudis partem a Charino accipitur.

Adel. 314: Geta: Seni animam primum exstinguerem ipsi, qui illud produxit scelus.

---

[1] cf. ad hoc Brix, Mil. glor. 827; Lorenz, Mil. glor. 820.

[2] Etiam ab adiectivo „scelestus“, si infamis nominis vice fungitur, „scelus“ paulum differt; id quod Donatus reddit verbis his (ad Eun. 645/6): scelus αὔξησις; plus enim est „scelus“ quam scelestus, ut Lucilius „carcer vix carcere dignus“ (libr. incert. frgm. 107 Marx.).

„Scelus“ vocatur Aeschinus adulescens, quia virginem, quam gravidam fecit, deseruisse aliamque amare videtur.

Adel. 767/9: Ecce autem hic adest
Senex noster. Quid fit? Quid tu es tristis? —
Demea: oh scelus!
Syr.: Ohe iam, tu verba fundes hic sapientia?

Syrus Demeam lusit, ut Demea fratrem quaerens falsam ingrederetur viam.

Eun. 645/6: Quin etiam insuper scelus, postquam ludificatust virginem,
Vestem omnem miserae discidit, tum ipsam capillo conscidit.

Eun. 941/2: Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus,
Ulciscar, ut ne impune nos inluseris.

Eun. 1017/8: Quod dudum dixti, pessuma, an mentita's? etiam rides?
Itan lepidum tibi visumst, scelus, nos inridere?

Haut. 315: In mea vita tibi tu laudem is quaesitum, scelus?

Clitipho adulescens Syrum servum „scelus“ hoc loco appellat, quod meretricem in patris domum ducere vult.

Haut. 887: Voltus quoque hominum fingit scelus.

Scelus est Syrus servus, qui fraudem parat.

Phorm. 977/8: Tantane adfectum quemquam esse hominem audacia!
Non hoc publicitus scelus hinc asportarier
In solas terras.

Pertinent haec verba ad Phormionem parasitum, qui Demiphonis uxori narrare vult illum simul aliam habuisse uxorem.

Plerumque autem vocabulum, de quo agimus, non evidenter ad scelus commissum refertur, sed simpliciter usurpatur ad increpandum. Vide:

Ba. 1175/6: Ba.: I hac mecum intro, atque ibi si quid vis filium concastigato.
Nicobulus: Abin a me, scelus?

Mil. 826/7: Qui[d] lubitumst illi condormiscere —
Oculis, opinor. — Non te istuc rogito, scelus.

Mil. 840/1: Eho, an umquam prompsit antehac? responde, scelus.
Per. 217: Eo ego hinc haud longe. — Et quidem ego haud longe. — Quo ergo, scelus?
Per. 289/90: Vadatur hic me. — Utinam vates desint, in carcere ut sis. —
Quid hoc? — Quid est? — Etiam, scelus, male loquere?
Per. 666/7: Toxile, quid ago? — Di deaeque te agitant irati, [et] scelus,
Qui hanc non properes destinare.

Codicibus traditur „di deaeque te agitant irati et scelus"; sed recte iam Pylades delevit „et"; etenim „di deaeque" saepe, „di deaeque et scelus" vel tale aliquid nusquam usurpantur. Pyladis vestigia secuti sunt Goetz et Schoell, Leo, Lindsay. Fortasse ex „iratei" erore librarii „et" factum est, ut Leo et Lindsay suspicantur.

Per. 793: Ne sis me uno digito attigeris: ne te ad terram, scelus, adfligam.
Pseud. 1302/4: Credo equidem potis esse te, scelus,
Massici montis uberrumos quattuor
Fructus ebibere in hora una.
Rud. 993/4: Quid, tu numquam audi[vi]sti esse antehac vidulum piscem? — Scelus,
Nullus est.
Rud. 1107: Omnia iterum vis memorari, scelus, ut defiat dies.
Adel. 773/5: In ipsa turba atque in peccato maxumo,
Quod vix sedatum satis est, potasti, scelus,
Quasi re bene gesta.
Andr. 317: Abin hinc in malam rem cum suspicione istac, scelus?
Haut. 740/1: Quam rem agis, scelus? — Egon? argentum cudo,
Quod tibi dem.
Phorm. 999/1001: Egon timeo? — Recte sane: quando nil times
Et hoc nihil est, quod ego dico, tu narra. — Scelus,
Tibi narret?

Pers. 192: per iocum dicitur „scelus", idem sonans atque homo facetus et lascivus. Eundem in modum etiam adiectivum „scelestus" adhiberi potest, qua de re suo loco agetur (cf. p. 23).

Non solum verbo „scelus", sed etiam locutionibus compluribus scelere compositis homines increpantur. Sexies in Plautinis fabulis legimus „scelerum caput" (Cur. 234; Mil. 494; Ba. 829; Pseud. 446, 1054; Rud. 1098), numquam in Terentianis ceterisque. Controversia est, utrum adiectivum sit „scelerum", an genetivus pluralis [de hac re vide p. 29 sq.]. Semel dicta sunt:

Aul. 824/5: Egone te emittam manu,
Scelerum cumulatissume?
Capt. 661: Sator sartorque scelerum et messor maxume.
Rud. 327: Is huc erum etiam ad prandium vocavit, sceleris semen.
Rud. 651: Fraudis, sceleris, parricidi plenissumus.

Sceleri ut nomini increpandi numquam adiectivum apponitur. Si pronomen ei additur, hoc masculini et neutrius generis forma potest usurpari. Genus masculinum exstat: Ba. 1095. Is me scelus auro usque attondit: Andr. 607. Ubi illest scelus qui . . .? Andr. 844/5. Scelus, quemnam hic laudat? Donatus ad hunc versum annotat: non est soloecismus; ad sensum enim, non ad verba respexit; etenim propter sensum verba sunt, non propter verba sensus"[1]. Haec interpretatio — esse constructionem ad sensum quam vocamus — melior mihi videtur esse quam Spengelii[2], qui in adnotatione exposuit „scelus" appositionem esse.

Neutrum pronominis genus cum scelere coniunctum invenimus Adel. 314: „qui illud produxit scelus". Phorm. 978: non hoc publicitus scelus hinc asportarier.

---

[1] Donatus ad Andr. 607: ad intellectum, non ad verba redegit, et est figura σύλληψις per genera — nam quia „scelus" scelestus intellegitur, modo „qui" subiunxit, non „quod".

[2] Ad Andr. 607: illic scelus qui . . . wobei sich scelus als Apposition an illic anschließt, wie Eun. 302; ut illum di deaeque senium perdant, qui . . .; cf. auch Ba. 1095 is me scelus; Rud. 506.

Perscrutatus quae declinationis formae in usu fuerint, repperi scelus ut nomen increpandi tribus tantum casibus usurpari, cum in universum omnes exstent formae exceptis dativo singularis numeri et dativo et ablativo pluralis. Vocative „scelus“ ut nomen infame dicitur vicies semel: Amph. 557; Ba. 1176; Cu. 614 (sc. viri); Mil. 827, 840/1; Per. 217, 290, 666, 743, 793; Pseud. 1302; Rud. 993, 1107; Truc. 621 (sc. viri); Adel. 774; Andr. 317; Eun. 941, 1018; Haut. 315, 740; Phorm. 1000; nominative sexies: Ba. 1095; Mil. 1434; Pers. 192 (sc. pueri).; Andr. 607; Eun. 645; Haut. 887; accusative ter: Rud. 506; Ad. 314; Phorm. 978. Ceteri casus non reperiuntur; eorum loco formae „scelesti“ vocis supponi videntur.

Cf. Capt. 641/2: Tum igitur ego deruncinatus, deartuatus sum miser
Huius scelesti techinis, qui me ut lubitumst ductavit dolis.

Men. 1015: Vos scelesti, vos rapaces, vos praedones.

Mirum est, quod, quamquam tricies scelus increpandi nominis vice fungitur, tres tantum casus sibi pares leguntur. Non potest dubium esse, quin eius modi certus fuerit usus sermonis. Attamen Plautus non omnibus nominibus a vitiis vel virtutibus ad homines ipsos translatis tam angustum in modum usus est. Veluti „odium“ crebro nomen infame est, neque vero solum nominativi (cf. Ba. 820), accusativi (cf. Mil. 932), vocativi (cf. Poen. 392), sed etiam dativi locum obtinet; vide Cas. 404: „Percide os tu' illi odio“.

Quater „scelus“ cum genetivo coniunctum occurrit, quo explicatur, quis scelus sit: Cur. 614: Quam ab lenone abduxti hodie, scelus viri; Mil. 1434: — scelus viri Palaestrio; Truc. 621: Etiam, scelus viri, minitare; Per. 192: Scelus tu pueri's.

Iam Lorenzius in annotatione ad Mil. 1422 facta dixit hunc genetivum in vulgari tantum sermone usurpatum esse[1].

---

[1] Lorenzius ad Mil. 1422 (suae editionis = 1434 ed. Goetz et Schoell) „scelus viri“ Schurke von einem Menschen; „viri“ ist eine nur in der Volkssprache vorkommende Anwendung des genetivus generis.

Brixius ad Men. 489 (flagitium hominis) huius modi genetivi alia exempla affert haec: deliciae pueri Per. 204; frustum pueri Per. 848; monstrum mulieris Poen. 273; monstrum hominis Eun. 696; flagitium hominis Men. 709; As. 473; Cas. 552; hallex viri Poen. 1310; hominum mendicabula Aul. 703. Accedunt, ut omnia exempla afferamus flagitium illud hominis Cas. 152; satis spissum filum mulieris Mer. 755. — Schaaffius in dissertatione, quam scripsit de genetivi usu Plautino (Halis 1881) hunc genetivum, de quo agitur appositivum appellat vel materiae, et commemorat hoc loco etiam Rud. 1178: „Gripi scelera"; Pseud. 817 „senapis scelera"; Pseud. 893: „coqui sublingulo". Sed iniuria id fecit, ut mihi quidem videtur. Etenim versum Rud. 1178:

„Ecce Gripi scelera, quom istaec res male evenit tibi,
Gripe, gratulor".

ita interpretandum esse puto, ut intellegatur: haec sunt Gripi malefacta. Langen quoque (Beiträge z. Erkl. u. Krit. des Plautus, Lips. 1880, p. 9) de hoc loco ita sentit, cum scribat, postquam de usu vocabuli „ecce" nonnulla disseruit: „endlich steht ecce, wenn nicht auf einen konkreten Gegenstand, sondern gleichsam metaphorisch, auf etwas Abstraktes hingewiesen wird: Rud. 1178 ecce Gripi scelera; Most. 496 sed ecce quae (illi) ille inquit". Accedit, quod „scelus" ut nomen infame nisi forma „scelus" usurpari non solet. Praeterea omnino incertum est, utrum pluralis numeri formam veluti scelera cum forma singularis personae liceat coniungere; certe nullum aliud eius modi exstat exemplum. Locutione „deliciae pueri" nihil probatur, cum „deliciae" vox sit plurale tantum quod vocamus. Item „senapis scelera", quae verba Schaaffius Sauppium et Lorenzium secutus interpretatur, huic genetivo non ascribam. Qua de re postea agetur accuratius cf. p. 29sq., 34. Quod attinet denique ad Pseud. 893:

„Iam hic quoque scelestus est coqui sublingulo"

Schaaffium, qui hic Draegeri[1] vestigia secutus est, errare

[1] Draeger, Histor. Syntax d. Lat. I, § 202, 3, p. 430.

arbitror. Immo cum Lorenzio[1] faciendum puto, qui vocem „sublingulo“ per iocum pro servo dictum esse contendit. Similem in modum legimus Pseud. 607: Tune's Ballio? — Immo eius Subballio; et Mil. 825, 837, 846 „suppromus“; et Mil. 868 „subcustos“.

Ad explicandum huius modi genetivum legentes reiciam ad ea, quae Fr. Haase, vir ille doctissimus, diligentissime de hac re disseruit[2].

Denique „scelus“ vim exclamationis, qua homines indignati utuntur, exhibet, atque id apud Terentium tantum. Quamquam simile aliquid iam apud Plautum scriptum videmus:

Capt. 762/3: „quod hoc est scelus?
Quasi in orbitatem liberos produxerim“.

Quae verba Hegio senex a Tyndaro servo deceptus exclamat. Eadem fere verba semel in Terentii fabula, quae Eunuchus inscribitur, invenimus. Chaerea adulescens, qui virginem amatam persecutus ab Archidemide cognato retentus est, ita queritur v. 324/5:

„neque, quemquam ego hominem esse arbitror quoi magis bonae
felicitates avorsae sient“.

Tum Parmeno:

„Quid hoc est sceleris!“

„o scelera“ legitur Adel. 228/9:

„o scelera: illud vide,
Ut in ipso articulo oppressit“

et Adel. 304: „hocine saeclum! o scelera, o genera sacrilega, o hominem impium!“

„em scelera“ Andr. 785/6: „Audistin, obsecro? em
Scelera! hanc iam oportet in cruciatum hinc abripi“.

---

[1] Cf. adn. ad Pseud. 586, 870; Mil. 817 (ed. Lorenz.).

[2] Fr. Haase, Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft, II, p. 28/29, ubi genus quoddam genetivi partitivi id esse exponitur. Cf. etiam Draeger, I, § 202, 3, p. 430, qui locutionum quas tractamus genetivum epexegeticum nominat atque putat substantivum regens pro adiectivo positum esse.

Omnibus his in exemplis exclamatio pertinet re vera ad malefacta. Semel etiam singularis forma exclamationis vice fungi videtur: Andr. 844/5:

Dav: „Ego commodiorem hominem, adventum, tempus non vidi."

Simo, qui ex occulto illa verba audit: „Scelus, quemnam hic laudat?" Cum autem nullo alio exemplo hanc sententiam firmare possim et Donatus aliter haec verba interpretatus „scelus" coniungat cum „hic", pro exclamatione „scelus" habere non audeo.

Si perlustramus, quae adhuc de significatione vocis „scelus" prolata sunt, cognoscimus eam paulatim amplificatam esse; primum enim malum facinus notabatur, deinde ad hominem translata est; denique exclamationis vim obtinuit.

b) Scelestus. Ex adiectivis a scelere deductis apud priscae latinitatis auctores longe saepissime occurrit „scelestus". Quod adiectivum, si ad homines attinet, significat eum 1. qui scelus commisit; 2. in universum, qui increpatur, cum principalis sensus paulum evanuerit; 3. qui lascivus et vorsutus est; 4. qui sua culpa incidit in malas res. De scelere aliquo commisso cogitatur locis his:

Amph. 1025: Merc.: Quid nunc vis? — Am.: Sceleste, at etiam quid velim, id tu me rogas?

Mercurius Sosiae servi speciem praebens dominum ludit.

As. 424: „Iussin, sceleste, ab ianua hoc stercus hinc auferri?"

Leonidas praeceptis non oboedivit.

Ba. 854: Quid nunc? scelestus tibi videtur Chrysalus?

Chrysalus dominum decepit.

Capt. 579: Ut scelestus, Hegio, nunc iste ⟨te⟩ ludos facit.

Capt. 641/2: Tum igitur ego deruncinatus, deartuatus sum miser
Huius scelesti techinis, qui me ut lubitumst ductavit dolis.

Capt. 653/4: †Satin me illi hodie scelesti capti ceperunt dolo?
Illic servom se assimulabat, hic sese autem liberum.

Men. 646: Viden ut ⟨te⟩ scelestus captat? huic surruptast, non tibi.

Menaechmus pallam uxori surripuit.

Men. 1015: Vos scelesti, vos rapaces, vos praedones.

Ita Messenio lorariis conviciatur, quia dominum suum vincire volunt.

Mil. 366: Tun me vidisse in proxumo hic, sceleste, ais osculantem?

Scelestus vocatur Sceledrus, cum falso Philocomasium probri insimulaverit.

Mil. 380: Pergin, sceleste, intendere hanc arguere?

Most. 218/9: In anginam ego nunc me velim vorti, ut veneficae illi
Fauces prehendam atque enicem scelestam stimulatricem.

Scapha ancilla Philocomasio scorto suaserat, ne solum Philolachem amaret.

Most. 501/3: hospes† hic me necavit, isque me
Defodit insepultum clam [ibidem] in hisce aedibus,
Scelestus, auri causa.

Per. 751: Sequere hac, sceleste, feles virginaria.

Dordalus leno virginem ingenuam ut scortum mercatus est.

Poen. 387: Sic enim diceres, sceleste: huius voluptas, . .

Milphio servus scelestus appellatur, quod dominum ludit.

Poen. 798: Quid nunc, sceleste leno?

Lycus leno Agorastoclis servum domi suae receperat, ut pecuniam, quam ille secum portabat, sibi compararet.

Pseud. 354/5: Periuravisti, sceleste. — At argentum intro condidi.
Ego scelestus nunc argentum promere possum domo.

Pseud. 893: Iam hic quoque scelestus est coqui sublingulo.

Nam is quoque fur erat.

Pseud. 1083: Malum et scelestum et periurum aibat esse me.
Pertinent haec verba ad lenonem.

Pseud. 1129/30: Leno: Populo strenui, mihi improbi usui sunt.
Simo: Malum quod tibi di dabunt: sic scelestu's.

Rud. 325: Data verba ero sunt: leno abit scelestus exulatum.

Rud. 455/6: †in aram ut confugiamus priusquam huc
Scelestus leno veniat nosque hic opprimat.

Rud. 655: Qui sacerdoti scelestus fauces interpresserit.

Rud. 671/2: ⟨Quin⟩ scelestus sacerdotem anum praecipes
Reppulit.

Rud. 697/8: Illos scelestos, qui tuom fecerunt fanum parvi,
Fac ut ulciscare.

Rud. 859/62: Ego hunc scelestum in ius rapiam †exulem:
Age, ambula in ius. – Quid ego deliqui? – Rogas?
Quin arrabonem a me accepisti ob mulierem?
Iam hinc avexisti?

Rud. 1058/9: Trach.: Vir scelestus illic est. — Daem.: Quid fecit tibi
Vir scelestus? —

Vir scelestus est Gripus servus, qui mulieris cistellam e mari piscatus est neque eam reddere vult.

Andr. 789/90: Mysis: ne me attigas,
Sceleste; si pol Glycerio non omnia haec ...

Putat Mysis auditis Davi verbis Pamphilum adulescentem dominam suam deseruisse.

Eun. 70/71: Indignum facinus! nunc ego
Et illam scelestam esse et me miserum sentio.

Meretrix Phaedriam adulescentem exclusit.

Eun. 668: Exi, foras, sceleste.

Pertinent haec verba ad Dorum Eunuchum, qui virginem vitiasse existimatur: item

709: oh scelestum et audacem hominem!

Eun. 943/4: pro deum fidem, facinus foedum! infelicem adulescentulum!
o scelestum Parmenonem, qui illum huc adduxit.

Evanuit paulum prima vocabuli vis et increpatur tantum locis his:

Amph. 348: Ego tibi istam hodie, sceleste, comprimam linguam.
As. 476: Sceleste, non audes mihi scelesto subvenire?
Aul. 52: At ut scelesta sola secum murmurat.
Aul. 437: Etiam rogitas, sceleste homo?
Aul. 648: Vah, scelestus, quam benigne, ut ne abstulisse intellegam.
Mer. 203: Sed scelestus subigitare occepit.
Mil. 825: Eho tu, sceleste, qui illi suppromu's.
Most. 183: Quid ais, scelesta? quomodo adiurasti?
Most. 257: Nunc adsentatrix scelestast, dudum advorsatrix erat.
Per. 208: Quid agis? — Feminam scelestam te astans contra contuor.
Per. 220: Itanest? — Itanest. — Mala's. — Scelestu's. — Decet me. — Mequidem haud decet.
Per. 299: Tamquam proserpens bestiast bilinguis et scelestus.
Poen. 200: Itaque hic scelestus est homo leno Lycus.
Rud. 22/3: Atque hoc scelesti in animum inducunt suom,
Iovem se placare posse donis, hostiis.
Rud. 26/7: Facilius si qui pius est a dis supplicans
Quam qui scelestust inveniet veniam sibi.
Rud. 50: Scelestus Agrigentinus, urbis proditor.
Rud. 895: Sed uxor scelesta me omnibus servat modis.
Rud. 1015: Mitte rudentem, sceleste.
Rud. 1093/5: Viden? scelestus aucupatur. — Sine me ut occepi loqui.
Si scelesti illius est hic quoius dico vidulus,
Haec poterunt novisse.
Rud. 1291: Istic scelestus liber est.
Trin. 527/8: etsi scelestus est,
At mihi infidelis non est.
Adel. 158/9: Quamquamst scelestus, non committet
Hodie umquam iterum ut vapulet.
Eun. 817: Pergin, scelesta, mecum perplexe loqui?
Eun. 832: Scelesta lupo ovem commisisti.
Haut. 312: eho sceleste, quo illam ducis.

Incerta sunt:

Amph. frgm. VIII, p. 53 ed. min. G. et Sch.:

Nihilne te pudet, sceleste, populi in conspectum ingredi?

Caecil. Stat. 231 (Ri.): o infelix, o sceleste!

Per iocum porro scelestus dicitur idem sonans atque lascivus et facetus:

Most. 170: Philolaches adulescens:

Ita me di ament, lepidast Scapha, sapit scelesta multum.

Sti. 570/1: Graphicum mortalem Antiphonem, ut apologum fecit quam fabre.

Etiam nunc scelestus sese ducit pro adulescentulo.

Satis saepe scelestus, quamquam adiectivum est, substantivi vice fungitur. Semper fere hoc fit, si increpandi nomen scelestus est, id quod ex hoc conspectu cognoscatur: cf. Am. 348, 1025; As. 424, 476; Aul. 648; Men. 1015; Mer. 190; Mil. 366, 380, 825; Most. 183; Per. 751; Poen. 387; Pseud. 354, 360; Rud. 1015; Caec. Stat. 231; Andr. 790; Haut. 312; Eun. 668, 817. Quater tantum ut nomen infame cum substantivo coniunctum invenitur: Aul. 437 sceleste homo. Poen. 798 sceleste leno. Eun. 709 oh scelestum et audacem hominem. Eun. 944 o scelestum Parmenonem. „Scelestus" quasi cognomen factum est et lenonum et servorum. Octies deinde „scelestus" de rebus dictum reperimus, et quidem apud Plautum septies, semel apud Ennium, numquam apud Terentium. Significantur:

1. Malefacta,

Capt. 671: Tuis scelestis falsidicis fallaciis.

Mil. 734: Et minus audacter scelesta facerent facta.

Ennius, scen. 308 (Vahl.):

Plus miser sim, si scelestum faxim quod dicam fore.

2. Maleficum, ut de personificatione quadam cogitari possit:

Am. 557: Scelestam, scelus, linguam abscidam.

Cur. 40: Quia scelestam servitutem serviunt.

3. Scelere pollutum,

Most. 504: Scelestae hae sunt aedes, impiast habitatio.

Rud. 508/9: Scelestiorem cenam cenavi tuam
Quam quae Thyestae† quondam antepositast et Tereo.

4. Damnosum,

Most. 532/3: Scelestiorem ego annum argento faenori
Numquam ullum vidi.

Men. 447/8: Numquam quicquam facinus feci peius neque scelestius
Quam hodie, quom in contionem mediam me inmersi miser.

Ita parasitus lamentatur, cum cena se privatum esse putet.

Doederleinius, Synon. II, § 51, 2 (p. 148) dicit ad verba Donati ad Ter. Eun. IV, 3, 1 (= 643) facta respiciens: „Donat ad Ter. Eun. IV, 3, 1 unterscheidet die verschiedenen adiectiva von scelus: scelerosus est multorum, scelestus, vel unius sceleris auctor; sceleratus, in quo scelus sit constitutum vel admissum. Das etymologische Verhältnis der beiden Formen, verglichen mit honestus und honoratus, modestus und moderatus, führt eher darauf, daß scelestus auf die Gesinnung bezogen ad scelera pronus et promptus, dagegen sceleratus die bloßen Handlungen berücksichtigend durch sceleribus pollutus et opertus zu erklären ist. Daher porta, campus, vicus sceleratus, nie scelestus, wie überhaupt Sachen nur durch Personifikation scelesta heißen können.“ Ut ordiamur ab his verbis ultimis, Doederleinius, cum contendit personificatione tantum facta „scelestus“ adiectivum cum rebus coniungi posse, non recte dixisse mihi videtur, quod quidem attineat ad priscae latinitatis usum. Etenim de personificatione cogitari omnino negaverim Most. 504: „scelestae hae sunt aedes“. Quid aliud „scelestae“ hoc loco potest esse, nisi „scelere pollutae“, cum iam antea dictum sit (v. 476): „scelus inquam, factumst iam diu antiquom et vetus“. Non magis Doederleinii dictum convenit ad Rud. 508: „scelestiorem cenam cenavi tuam, quam . .“ ubi sine dubio de cena caede polluta cogitatur. In exemplis tantum sub

num. 2) allatis personificationem quandam esse concedam. „Scelestus“ voce ingenium ad scelera pronum notari recte exposuit Doederleinius, ut ex exemplis clare apparet. Quod attinet denique ad Donati sententiam de hoc adiectivo propositam, grammaticus non ita diligenter iudicavit: neque enim ullus locus est, quo nisi contendere possimus „scelestum“ plerumque ita usurpatum esse, ut ad unum scelus pertineret. Scelerosus, quo vocabulo Donati sententia multorum scelerum auctor notatur, apud Plautum omnino numquam legitur. Utrum in verbis Doederleinii, cum rationem inter „scelestum“ et „sceleratum“ intercedentem describat, recti aliquid insit necne, ex paucis exemplis vocis „sceleratus“ non iam possumus cognoscere. Certe „scelestus“ adiectivo aeque atque „sceleratus“ rem quoque scelere pollutam significari posse, iam supra commemoravi.

Accedit denique significatio scelesti, qua solus Plautus interdum et semel Terentius usus est. Nonnullis enim locis haec vox mutato proprio sensu idem sonat atque „miser, infelix, misericordia dignus“ [1] (cf. ad hoc p. 10). Similem rem haud scio an observemus in nostri sermonis vocabulo „elend“. Cuius modi exempla exstant haec:

As. 476: Sceleste, non audes mihi scelesto subvenire?

As. 856: At scelesta ego praeter alios meum virum †frugi rata.

Cas. 667: [occidi atque interii . . .]
Scelestissimum me esse credo.

Cist. 685: Actumst ilicet. me infelicem et scelestam.

Fortasse hic etiam memorandus est versus:

Caec. Stat. 231 (Ri): o infelix, o sceleste!

neque vero satis scimus de sententiarum conexu, in quo fuerit.

Most. 562/3. — ne ego sum miser,
Scelestus, natus dis inimicis omnibus.

Rud. 502: Quid mihi scelesto tibi erat auscultatio?

---

[1] Hoc iam Pareus observavit, lexic. Plaut. 1614. scelestus] non semper est ὁ μιαρός, sed idem quod ἀτυχής. scelestos] se vocant qui aliqua infelicitate premuntur.

Rud. 801: Eheu, scelestus galeam in navi perdidi.
Rud. 1167: Meque adeo scelestum, qui non circumspexi centiens.
Rud. 1184/5: Sumne ego scelestus, qui illu⟨n⟩c hodie excepi vidulum?
Aut quom excepi, qui non alicubi in solo abstrusi loco? —

Quasi ludere diversis adiectivi significationibus aeque atque As. 476 poeta hoc loco videtur. Nam primo versu perlecto genuina apparet significatio — deliberat enim servus, utrum scelus sit vidulum excepisse necne — perlecto autem altero, ubi cogitatione iterum addendum est „sumne ego scelestus", nemini dubium erit, quid „scelestus" sibi velit; lamentatur servus, quod damnum sibi contraxerit, cum praedam non statim occultavisset.

Haut. 970: Disperii. Scelestus quantas turbas conscivi insciens!

Ut ex exemplis potest perspici, haec significatio (= miser, infelix) tum tantum adiectivo inesse solet, cum aliquis ipse se scelestum vocat[1]. Numquam scelestus idem est atque miser, si quis alium ita appellat. Sensus mutatio ita facta esse mihi videtur, ut ii, qui saluti suae non satis providerant, quasi scelus in se admisisse sibi viderentur. Forcellini[2] hanc significationem iam notavit; omisit, quod dolendum est, in vocabulario magno Georges[3].

---

[1] Quae res iam Parei animo videtur obversata esse, cum scriberet: „scelestos" se vocant, qui aliqua infelicitate premuntur.

[2] Forcellini, Totius latinitatis lexicon; cf. scelestus sub IV, = infelix, miser, calamitosus. Rud. III 5, 22; IV 4, 123 et 140; Cas. III 5, 34; Most. III 1, 1.

[3] Priusquam progrediamur, iuvat commemorasse, quae Lorenzius adnotavit ad Most. 170; scripsit enim: „Scelesta" hier natürlich scherzhaft: der Schalk, die Bübin. Neben der Grundbedeutung dieses Wortes hat Plautus noch eine ihm eigentümliche: „unheilvoll, unglückselig". Most. 504, 532; Rud. 502, 801, 895, 1167, 1184; Men. 447; beide verbunden As. 476. In letzterer Bedeutung sagen Spätere von Vergil an zuweilen „sceleratus". Quod attinet ad Most. 504 et Rud. 895, Lorenzio assentiri non possum; Most. 504 (scelestae hae sunt aedes) multo veri similius est, „scelestae" adiectivo aedes scelere pollutas notari. Et Rud. 895 (sed uxor scelesta

Modo dixeram scelestum idem esse atque miserum, si quis ipse se ita appellat. Qua ex re non licet concludere „scelestus" adiectivum cum prima persona coniunctum semper et necessario idem sonare atque „miser". Immo „scelestus" cum prima persona coniunctum genuinam quoque significationem exhibere potest, id quod invenitur locis duobus, ubi e verborum contextu satis clare sensus perspicitur.

Ba. 783/4: Men criminatust? Optumest, ego sum malus,
Ego sum sacer, scelestus.

Pseud. 354/5: Periuravisti, sceleste. — At argentum intro condidi.
Ego scelestus nunc argentum promere possum domo.

Quod attinet ad adiectivi, quod tractamus, gradus, praeter positivum satis saepe legimus comparativum, rarius superlativum. Am. 552: Scelestissimum te arbitror. Cas. 667: Scelestissimum me esse credo. Am. 561: Scelestissume, audes mihi praedicare id. Aul. 419: Homo nullust te scelestior. Aul. 60/1: Scelestiorem me hac anu certo scio Vidisse numquam. Ba. 256: Scelestiorem nullum inluxere alterum. Cist. 660: Scelestiorem in terra nullam esse alteram. Men. 447: Numquam quicquam facinus feci peius neque scelestius. Most. 532/3: Scelestiorem ego annum argento faenori Numquam ullum vidi. Rud. 508/9: Scelestiorem cenam cenavi tuam Quam quae Thyestae †quondam antepositast. Excepto v. Rud. 508. Plautus comparativo gradu non usus est nisi in enuntiatis negativis; Terentius vero neque comparativi neque superlativi formam scelesti exhibet, unde colligi potest eas formas magis in vulgari sermone quam in eruditorum hominum usitatas fuisse.

---

me omnibus servat modis) malim in eandem redigere paragraphum, in quam contuli exempla increpandi. Certe hic versus non bene hoc loco una cum reliquis allatus est, cum dubitari non possit, quin valde differat sensus scelesti, quem cognoscimus Rud. 502 (quid mihi scelesto tibi erat auscultatio) et eius generis ceteris, ab sensu, qui adiectivo „scelesta" inest in v. Rud. 895. Ceterum optimum censeo acute discernere exempla, quibus de hominibus scelestus dicitur et quibus de rebus.

Adverbii forma ter tantum exstat, et quidem in fabulis Plautinis:

As. 293: Nam si quid sceleste fecit, lingua pro illo perierat.
Rud. 196/7: Nam me si sciam †fecisse aut parentis
Sceleste, minus me miserer.
Rud. 505/6: Pol minume miror, navis si fractas ⟨t⟩ibi,
Scelus te et sceleste parta quae vexit bona.

Addam denique declinationis formas omnes fere in usu fuisse: Sing.: nom.: As. 856; Ep. 686; gen.: Rud. 1093; dat.: Rud. 502; acc.: Rud. 859, Eun. 71; voc.: Rud. 1015; abl.: —. Plur.: nom.: Capt. 653, Most. 504; gen.: —; dat.: —; acc.: Rud. 697; voc.: Men. 1015; abl.: Capt. 671. Nusquam repperi ablativum singularis numeri, genetivum, dativum pluralis; quae formae casu non exstare veri simillimum est.

c) Scelerosus, sceleratus. Adiectiva in -osus exeuntia permulta in fabulis Plautinis inveniuntur, velut odiosus, otiosus, formosus, imperiosus, alia. Attamen „scelerosum" Plautus omnino evitavit, unde discimus tunc temporis hoc adiectivum a sermone cottidiano alienum fuisse. Semel usurpavit Terentius Eun. 643:

„Ubi ego illum scelerosum misera atque impium inveniam?"

Scelerosus vocatur adulescens, qui virginem vitiavit. Donatus ad hunc versum adnotat: „Scelerosus est multorum, scelestus vel unius sceleris auctor, sceleratus, in quo scelus sit constitutum vel admissum"[1]. Confer ad hoc etiam p. 24/25: Semel deinde „scelerosus" et apud Lucilium et apud Afranium occurrit;

Lucil. 37/39 (M.): ut multos mensesque diesque
Non tamen aetatem, tempestatem hanc scelerosi
Mirentur.
Afran. 66 (Ri.): o diem scelerosum, indignum!

---

[1] Isidorus Etymol. X, 254: scelerosus est sceleribus plenus, ut lapidosus locus et arenosus; plus autem est scelerosus quam sceleratus.

Observandum est hoc loco de re „scelerosum“ dici. Item fere atque Donatus Priscianus (G. L. II, p. 205, 1—3) hoc adiectivum explicat verbis „scelerum plenus“.

Non multo saepius quam „scelerosum“ vocem „sceleratum“ apud priscae latinitatis poetas scriptam videmus. Mirum est, quod exstat sceleratus, nusquam autem verbum „scelerare“, a quo deductum est. Semel dictum est de re,

Ep. 369: Ibi leno sceleratum caput suom imprudens alligabit.

quater de hominibus et quidem de servis:

Per. 275 [substantive]: Scelerate, etiam respicis?
Andr. 159: simul sceleratus Davos si quid consili habet.
Afran. 189/91 (Ri.): servus est mihi Nicasio,
Sceleratus, curiosus, is cum filio
Coiecerat nescioquid de ratiuncula.

Quae pauca exempla cum adiectivo „scelestum“ in eo congruunt, quod ipsa quoque ingenium ad scelera promptum significant. — Adverbia a sceleroso et scelerato deducta non in usu erant.

d) Scelerus. Postquam de adiectivis scelestus, scelerosus, sceleratus egimus, reliquum est, ut de adiectivo „scelerus“ disseramus, de quo adhuc controversia est. Exstat hoc vocabulum apud Plautum in locutione „scelerum caput“ Cur. 234; Mil. 494; Pseud. 446, 1054; Rud. 1098; Ba. 829 et in „sinapis scelera“ Pseud. 817. Addendi sunt grammaticorum loci, quibus forma aliqua huius adiectivi commemoratur. Servius adnotat ad Aen. IX, 484: nec te tua funera mater] „id est funerea, nam apud maiores funeras dicebant eas, ad quas funus pertinet, ut sororem, matrem: nam praeficae, ut et supra diximus ⟨VI, 216⟩ sunt planctus principes, non doloris. Funeras autem dicebant quasi funereas, ad quas pertinet funus.“ — Quod scholion antiquum sequuntur verba: „vel derivavit veteres secutus, ut funeram pro funesta diceret, ut homo scelerus, sicuti scelestus vel scelerosus dicebatur; Plautus in Pseudulo: teritur sinapis scelera; in eadem:

⟨1054⟩ iube nunc venire Pseudolum, scelerum caput, i. e. scelestum". Praeterea ad Pseuduli versum 817 respiciunt Charisius, inst. gram. I, p. 144, 10 K. Plautus in Pseudulo: „Teritur sinapis scelera, quod illi qui terit, Priusquam contrivit, oculi ut exstillent facit". Probi catholica IV, 8, 16 K.: „hoc sinapi; quamvis Plautus in Pseudulo „haec sinapis", declinaverit"; et IV, 26, 18: „haec sinapis, huius sinapis, sicut Plautus in Pseudulo, alii melius genere neutro indeclinabile hoc sinapi, sicut hoc gummi". Claudius Sacerdos, VI, 493, 4 K.: „hoc sinapi, quamvis Plautus in Pseudulo haec sinapis declinaverit". Dubitari igitur non potest, quin recte huius vocabuli formae traditae sint; sed utrum adiectivi sint an substantivi, de ea re viri docti dissentiunt; nam Servii verba „homo scelerus" una cum falsa interpretatione allata non multum valent. Adiectivum „scelerus" in prisca latinitate fuisse sibi persuaserunt viri, qui summa in studiis philologicis auctoritate utuntur, Jos. Scaliger (cf. commentarii in appendicem Vergilii, Leiden 1817, p. 283) et Rich. Bentley (cf. Emendationes ad Ciceronis Tusculanas [I, 49, 117], p. 261, ed. Orelli 1829). Idem sentit C. Peter in Mus. rhen. III 124, qui putat funerare et scelerare non deducenda esse a stirpe (funus) funer — et (scelus) sceler —, sed ab adiectivis, quae prius iam exstitisse contendit „funerus" et „scelerus". Sed haec sententia propterea veri similis non videtur esse, quod semper in lingua nascente et adolescente nomen substantivum prius exstat quam adiectivum (cf. Haase, I, p. 83). Georges in libro, quem inscripsit „Lexicon der lat. Wortformen" (1888) adnotat: scelerus archaisch für scelestus, sceleratus, = frevelhaft, abscheulich[1]."

Contra H. Sauppe in interpretando Pseudulo (Ausgewählte Schriften, p. 231/2) exponit nulla re nos impediri,

---

[1] In vocabul. magno ed. 1880 Georges dixit sub voce scelerus: von Servius, Verg. Aen. IX, 486 fälschlich angenommene Wortform, da die von ihm angeführten Stellen aus Plautus zu scelus gehören, sodaß Pl. Ps. 817 sinapis scelera = Abschaum von Senf, abscheulicher Senf; Bacch. 829 u. a. scelerum caput = Erzhalunke.

quominus pro substantivi formis „scelera“ et „scelerum“ habeamus; veri simile esse grammaticos errasse, cum adiectivum esse arbitrarentur. Lorenzius[1] eius sententiam secutus est. Eundem in modum iam disseruerant Doederlein[2] et Forcellini.

Obstitit huic sententiae Fleckeisenus in annall. philol. 143 (1891), p. 677 sq., qui iterum contendit, „scelerus“ adiectivum fuisse. Brixius in adnotatione ad Mil. glor. 494[3] in suspenso rem reliquit, ad Sauppii interpretationem nos reiciens.

Ut ipsi iudicium faciamus, omnia afferam argumenta, et quibus adiectivi et quibus substantivi has formas esse demonstrari possit.

Ad defendendum adiectivum afferuntur haec.

Complures locutiones „scelerum caput“ locutioni similes a capitis vocabulo compositae inveniuntur, quibus homo aliqui appellatur: Ad. 261: festivom caput. Ad. 966: lepidum caput.

---

[1] Ad Pseud. 795 (= 817 ed. G. u. Sch.): senapis scelera — abscheulicher Senf, ein beispielloser, aber auch auf unsicherer kritischer Basis ruhender Ausdruck, der nach scelus viri Mil. gl. 1422 gebildet scheint, bei dem aber sowohl der Pluralis „scelera“ als die Hinzufügung einer Sache im Genetivus generis für die sonst konstante einer Person auffallend bleibt.

[2] Synon. II, § 52, 2 (p. 148): „Die Form scelerus, welche Servius ad Aen. 486 angibt, beruht, wie schon Forcellini nachweist, auf Mißverstand.“ Forcellini verba sunt haec: scelerus, a, um adiectivum hoc eodem sensu ac scelestus et sceleratus afferebatur olim ex Plauti Pseud. I, 5, 31: „hic mihi corrumpit filium, scelerum caput“ et III, 2, 28: „teritur sinapis scelera, cum illi . . .“ Ita Servius ad Aen. IX, 486. Verum haec loca nihil demonstrant. Priore enim loco est genet. pluralis, altero plerique legunt „scelerata“.

[3] Brixius ad Mil. gl. 494 „scelerum caput“ — Erzhalunke, auch Ps. I, 5, 31; IV, 5, 3; Rud. IV, 4, 54; Ba. IV, 7, 31; Cur. II, 1, 19; wie periuri caput Rud. IV, 4, 55; Ps. I, 1, 129. Hier nimmt Servius ad Verg. Aen. IX, 486 scelerum als Adjektiv, indem er ein sonst nirgends vorkommendes „homo scelerus“ anführt, sodaß scelerum caput = sceleratum caput Epid. III, 2, 33 wäre; vgl. auch verbereum caput Per. II, 22. Aber die Annahme dieses Adjektivs hat als weitere Stütze nur „sinapis scelera“ Ps. III, 2, 28, wo aber weder die Lesart noch die Erklärung sicher steht, s. H. Sauppe, quaest. Plaut. p. 94 (= Ausgew. Schriften, p. 231/2).

Andr. 371: ridiculum caput. Eun. 531: o capitulum lepidissimum. Plautus semel tantum „lepidum caput" exhibet Mil. 725; alias locutionibus capite formatis semper vituperatio inest (Fleckeisen): verbereum caput Per. 184; scelerum caput Ps. 1054 et saepius, sceleratum caput Epid. 369.

Quibus ex testimoniis cognoscitur „caput" in appellandis hominibus semper cum adiectivo coniungi. Ergo etiam „periurum caput" pro „periuri caput" scribendum esse Fleckeisenus censet; etenim Pseud. 132 codicibus A et B traditum est „periuri caput", C et D autem „periurum caput" (*F*, qui nullam habet auctoritatem, „periurum caput"). At Rud. 1099 ubique aequo modo „periuri caput" legitur, id quod Fleckeiseni sententia errore librarii factum est, qui antecedentibus verbis falleretur. Pro „scelera" ut adiectivo nihil proferre possumus, nisi codices optimos et grammaticorum testimonium, qui Pseud. v. 817 probant „sinapis" feminino quoque genere dici. Fleckeisenus denique contendit analogas non deesse formationes, quibus ut adiectivum deducatur, ad puram stirpem -us affigatur. Exempla commemorat haec: periurus, perfidus, florus, decorus, honorus. Sed his exemplis exigua vis inest demonstrandi, cum nullum inter ea exstet adiectivum a substantivo in -us, eris vel -us, oris derivatum. Vir ille doctus, cum „scelerus" adiectivum in usu fuisse sibi persuasisset, etiam coniecturas faciendas esse putavit: Andr. 786 „sceleram hanc iam oportet . . . abripi" ponere vult pro: „em scelera! hanc iam oportet..." Adel. 158: „quamquamst scelerus" pro „quamquamst scelestus". Rud. 456: „scelerus leno" pro „scelestus leno". Most. 504: „scelerae hae sunt aedes" pro „scelestae hae sunt aedes". Neque vero Fleckeisenus in editione Terentii a. 1905 facta coniecturas suas in verborum contextum recepit, neque reliqui viri docti eas comprobaverunt; atque id optimo iure, nam fundamentum, quo utitur, parum firmum est, quam ut ad coniecturas faciendas progredi liceat.

Examinemus argumenta modo prolata. Recte Fleckeisenus observavit caput cum adiectivis coniungi solere;

neque vero fieri potuit, ut demonstraret id solum cum adiectivis fieri, cum Rud. 1099 omnes codices pari modo „periuri caput" praebeant. Fortasse hoc librariorum errore factum est, sed certo id scire nequimus. Item incertum est, num grammatici erraverint, cum (sinapis) „scelera" adiectivum esse putarent. Et quod ad analoga huius formationis attinet, quae Fleckeisenus attulit, non multum ea valere mihi videntur. Afferenda puto adiectiva, quae a substantivis in -us, eris vel -us, oris exeuntibus ita deducta sunt, ut ad puram stirpem -us affigeretur. Cuius modi exempla, quantum video, non exstant; semper in -eus adiectiva ab his substantivis derivata terminantur, velut sidus, sideris — sidereus; corpus, corporis — corporeus; funus, funeris — funereus. Servii verba (Aen. IX, 484); „nam apud maiores funeras dicebant quasi funereas, ad quas pertinet funus ut sororem, matrem" quamquam C. Peter in Mus. rhen. III 124 „funeras" defendit, suspiciosa videntur esse; nam certe interpres verborum quae interpretatur sensum non recte intellexit. Praeterea nisi hoc uno loco „funerus" nusquam invenitur. Vis probandi igitur huic exemplo inesse non potest.

Ut has difficultates, in quas „scelerum" et „scelera" explicare conati incidimus, tolleret, H. Sauppe (Ausgew. Schriften, p. 231/2) eam viam ingressus est, ut contenderet „scelera" et „scelerum" esse accusativum et genetivum nominis substantivi. Ut quod ad „scelerum caput" attinet, sententiam suam defendat, analogon „periuri caput" affert, de quo Rud. 1099 dubitari nequit. „Scelera" Pseud. 817 Sauppe pro accusativo pluralis habenda esse censet; grammatici ei errare videntur, qui hoc uno loco nixi sinapi generis feminini esse dicunt, cum alias semper neutrius sit. Ceterum hanc formam ut adiectivi non valde commendari eo, quod a Servio cum vocabulo, quod est „funera", comparetur. Pluralem numerum sceleris cum genetivo aliquo coniunctum nusquam exstare, attamen singularem Plautum saepe ita adhibere: scelus viri Cur. 614, Mil. 1434, Truc. 621; scelus pueri Per. 192; analoga: flagitium hominis Men. 489 monstrum mulieris Poen. 273.

Sententia sua Sauppe adductus est, ut pro verbis traditis Pseud. 817 „teritur sinapis scelera“ poneret „terunt sinapis scelera“. Quae coniectura, quamquam eam non rectam esse puto, facile potuit fieri, quia in versibus antecedentibus et insequentibus semper tertia pluralis persona poeta utitur: proferunt, faciunt, oggerunt, condiunt, diluont, coquont; qua re molestia enumerandi tam bene depingitur, ut consilio poetam has formas posuisse facile credas. Hanc Sauppii coniecturam solus Lorenzius in verborum contextum recepit; Goetz et Schoell non receperunt. Neque enim contigit Sauppio, ut prorsus difficultates tolleret. Fleckeisenus in annall. philol. 143 (1891), p. 677 sq. iam dixit exemplis, quibus Sauppius emendationem suam firmare conatur, nihil profici; non quadrare illa ad hanc rem, cum in locutionibus scelus viri, scelus pueri, flagitium hominis, monstrum mulieris nomina regentia nominativi singularis numeri sint, genetivo autem apposito animalia notentur, non res.

Semel atque iterum de hac re controversa deliberanti mihi neutra sententiarum, quas viri docti adhuc protulerunt, satisfecit. Aliam igitur rationem ineundam esse censeo, et quidem ita, ut adiectivum „scelerus“ exstitisse concedamus, quod Fleckeisenus aliique opinantur, at „scelerum“ in locutione „scelerum caput“ pro substantivo habeamus. Veteris illius adiectivi sola forma „scelera“ ad nostram aetatem pervenit; bonis codicibus et a grammaticis traditur, ut dubitandi locus non detur. Grammaticis credendum esse puto, nisi forte ita res se habet, ut unus ex iis erraverit et reliqui, codice ipso non usi, nulla adhibita arte critica verba receperint; qua de re nihil constat. Optimum igitur videtur esse verba tradita sequi et „scelera“ pro adiectivo habere, Sauppii autem coniecturam reici, cum repugnet et codicibus et grammaticis. Certum iudicium fieri potest, ut opinor, de locutione „scelerum caput“. Servii verba nullius momenti sunt. In tractanda hac quaestione proficiscendum puto a Rud. 1098/99:

„Scelerum caput,
Ut tute's, item omnis censes esse? periuri caput.

Codices omnes praebent „periuri caput" et „scelerum caput"; unde apparet, cum duae locutiones una iuxta alteram positae sint, scelerum genetivum esse aeque atque „periuri". Etiam ex ea re, quod „scelerum caput" antecedit, „periuri caput" sequitur, concludo „scelerum" genetivum esse; si enim „scelerum" adiectivum esset, veri simillimum est poetam analogia adductum etiam „periurum caput" scripturum fuisse, nam adiectivo „periurus" Plautus usus est. „Periuri caput"[1] iterum legimus Pseud. 132, quod A et B codicibus optimis traditur et a recentioribus Plauti editoribus in contextum receptum est. Adiciam in universum genetivum pluralis „scelerum" non inusitatum fuisse, quod cognoscitur ex testimoniis his, quibus idem fere sensus inest ac locutioni, de qua agimus: Aul. 825: scelerum cumulatissume. Capt. 661: sator sartorque scelerum et messor maxume. Accius 219 (Ri): Epularum fictor, scelerum fratris delitor.

Dolendum est, quod nulla exempla exstant alia, e quibus de usu vocis „caput" certum aliquid discere possimus, quod ad hanc rem intellegendam adhibeamus[2]. Bis scriptum videmus „capita rerum", id est summum vel gravissimum; vide Merc. 608/9: †odio sane oratio quom rem agas, longinquom loqui. Quidquid est, ad capita rerum perveni. et Truc. 789/90: Quid loquar? — Quid puero factumst mea quem peperit filia, Meo nepote? capita rerum expedito.

II. Flagitium.

Similis vis ac voci „scelus" inest voci „flagitium". Utrāque mala facta notantur: sed differt[3] flagitium a scelere eo,

[1] Similiter dictum est „fons viti et periuri" Truc. 612.

[2] Ter reperimus „caput" ad hominem translatum idem sonans atque auctor, inventor; cf. As. 728. Ego caput huic argento fui hodie reperiundo. Ad. 568: Te esse huic rei caput. Andr. 458: „nam si hic malist quicquam, em illic est huic rei caput".

[3] Usener, Mus. rhen. 56, p. 5. Zum Unterschied von scelus und facinus, deren Wirkung sich zunächst in der Schädigung anderer zeigt, ist flagitium eine unerlaubte Handlung, die lediglich zum Schaden des Täters ausschlägt und ihm Einbuße an Ehre und Gut einträgt.

quod notio dedecoris semper et interdum damni cum eo coniungi solet et crebro flagitium significat dedecus ipsum. De huius vocabuli significatione iam Usener diligentissime disseruit in dissertatione, quam inscripsit „Italische Volksjustiz" (Mus. rhen. 56, p. 1 sqq.); quibus non multum addi potest.

Inquiramus primum neglecta etymologia in ipsa exempla, unde appareat, quae vis voci „flagitium" antiquissimis temporibus infuerit. Locis huc pertinentibus omnibus perlustratis statuuntur imprimis significationes duae, et facti flagitiosi et dedecoris[1]; perpauca exstant exempla, ubi mea quidem sententia diiudicari nequit, utrum de facto flagitioso an de dedecore cogitandum sit.

Factum flagitiosum significatur:

Amph. frgm. IX (p. 53 ed. min. G. et Sch.):
Manufestum hunc obtorto collo teneo furem flagiti.

As. 851/3: Ain tu, meum virum hic potare, obsecro, cum filio
Et ad amicam detulisse argenti viginti minas,
Meoque filio sciente id facere flagitium patrem?

Ba. 1207/8: Hi senes nisi fuissent nihili iam inde ab adulescentia,
Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus.

Cas. 549: Quid ego nunc faciam? flagitium maxumum feci miser.

Men. 719/21: Non ego istaec flagitia possum perpeti;
Nam med aetatem viduam esse mavelim
Quam istaec flagitia tua pati, quae tu facis.

Men. 735: Atque ei narrabo tua flagitia quae facis.

Men. 605: Clanculum te istaec flagitia facere censebas potis[se]?

Poen. 609/10: Fores hae fecerunt magnum flagitium modo. —
Quid ⟨id⟩ est flagiti? — Crepuerunt clare.

Adel. 408: haecin flagitia facere te!

Eun. 382: Flagitium facimus. — An id flagitiumst, si in domum meretriciam
Deducar . . .

[1] De exemplis nonnullis, quae proprium colorem exhibent (veluti Epid. 516, Merc. 405/6, alia), vide p. 43/44.

Eun. 1013: An paenitebat flagiti, te auctore quod fecisset.
Phorm. 770: Dum aliud aliquid flagiti conficiat.
Ba. 167: Quom istaec flagitia me celavisti et patrem.
[Ba. 498: Qui dedecorat te, me, amicos atque alios flagitiis suis.][1]
Men. 738/40: Iam ego aperiam istaec tua flagitia. — Sanan es?
Quae mea flagitia? — Pallam atque aurum meum
Domo suppilas.
Mil. 508/9: Quodque concubinam erilem insimulare ausus es
Probri pudicam meque summi flagiti.
Adel. 379: Haecin flagitia! Miquidem non placent.
Adel. 721/2: Fero alia flagitia ad te ingentia
Boni illius adulescentis.
Eun. 1021/2: adulescentulum istum qui nobilitas
Flagitiis et eundem indicas.
Haut. 1037: [Non] Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.

Mala fama notatur omnibus exemplis, in quibus „damnum“ appositum est voci „flagitium“. In locutione „damnum facere“ semper cogitatione addendum est „sibi“, quod apparet ex Merc. 423: „Multo edepol, si quid faciendumst, facere damni mavolo quam ...“ Demipho senex detrimentum aliquod accipere mavult et mulierculam sibi comparare quam filio eam permittere, ut cum lucro vendat. Numquam locutio „flagitium et damnum facere“ refertur ad hominem alterum, qui flagitio et damno afficiatur, sed semper ad auctorem redit flagitium et damnum. Vide:

Ba. 375/6: ut celem patrem,
Pistoclere, tua flagitia aut damna aut desidiabula?
Ba. 378: Ad probrum, damnum, flagitium appellere una et perdere.
Ba. 1032: Quam propter tantum damni feci et flagiti.
Mer. 236/7: Ait sese illius opera atque adventu caprae
Flagitium et damnum fecisse haud mediocriter.

---

[1] Secl. Goe.

Mer. 384: Non miror, seiquid damnei facis aut flagiti.
Pseud. 440: Nam tu quod damni et quod fecisti flagiti.

Porro dedecus significatur:

Ba. 380/1: Quibus tuom patrem meque una, amicos, adfinis tuos
Tua infamia fecisti gerulifigulos flagiti.
Ba. 1010/11: nam ducentis aureis
Philippis redemi vitam ex flagitio tuam.
Cas. 158/60: Acheruntis pabulum,
Flagiti† persequentem,
Stabulum nequitiae.
Cas. 876: Tantum erus atque ego flagitio superavimus nuptiis nostris.
Cas. 937: Maxumo ego ardeo flagitio (= plenus sum flag.).
Men. 900/1: ea omnia fecit palam
Parasitus, qui me complevit flagiti et formidinis.
Truc. 587: Tun ⟨m⟩e ais impudentem esse, ipsa quae sis ⟨s⟩tabulum flagiti?
Ennius, fragm. scen. 395 (Vahlen):
Flagiti principium est nudare inter civis corpora.
Mer. 422/3: Multo edepol siquid faciendumst, facere damni mavolo
Quam obprobramentum aut flagitium muliebre ecferri domo.
Lucil. 615 (M.): Contra flagitium nescire, bello vinci a barbaro
Viriato, Hannibale.
Sext. Turpil. 160/2 (Ri.): quaeso omitte ac desere hanc
Meretricem, quae te semel ut nacta est, semper studuit perdere,
Detergere, despoliare opplereque adeo fama ac flagitis.
Luc. Pompon. 101 (Ri.): Domus haec fervit flagiti.

Semper fere dedecus notatur, si copula „est“ voci „flagitium“ adiungitur (item Usener): cf.

Ba. 1163/4: Tun, homo putide, amator istac fieri aetate audes? — Qui non? —
Quia flagitiumst.

Poen. 965/6: Nam tuom flagitiumst tuas te popularis pati
Servire ante oculos, domi quae fuerint liberae.
Pseud. 1248: Nam hercle si cecidero, vostrum erit flagitium.
Adel. 101/3: Non est flagitium, mihi crede, adulescentulum
Scortari, neque potare, non est, neque fores
Ecfringere.
Adel. 112: Non est flagitium facere haec adulescentulum?
Ad. 422/3: Nam id nobis tam flagitiumst quam illa, Demea,
Non facere vobis, quae modo dixti.
Haut. 922/3: Nonne id flagitiumst, te aliis consilium dare,
Foris sapere, tibi non posse te auxiliarier?

In versibus Trin. 643
„virtute eorum ante parta per flagitium perderes"
et 1035 „petere honorem pro flagitio more fit"
per se utraque notio, et mali facti et infamiae, convenire videtur; sin autem respicis sibi opponi virtutem — flagitium, honorem — flagitium, facile adducaris, ut „dedecus" notari censeas.

Uterque denique sensus convenit in exemplis reliquis:
Ba. 1008/9: Tantum flagitium te scire audivi meum,
Quod cum peregrini cubui uxore militis.
Ba. 1045/6: Perisse suaviust
Quam illud flagitium vulgo dispalescere.
Cas. 903: †flagitiumst.
Cas. 991: Qui etiam me miserum famosum fecit flagitiis suis.
Curc. 198/9: Flagitium probrumque magnum, Phaedrome expergefacis:
Bene monstrantem pugnis caedis, hanc amas, nugas meras.
Haut. 929: Quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem.
Lucil. 866/7 (M.): Qui et poscent minus et praeb⟨eb⟩unt rectius multo
Et sine flagitio.

Si deinde scrutamur, de cuius modi malis facinoribus voce „flagitium" cogitetur, examinatis exemplis reperimus hoc: flagitium ut factum, cum in universum sonet id, quod

a bonis moribus et ab officio alienum est et propterea auctori dedecus contrahit vel damnum, singillatim notat maxime: „scortari et potare“, raro adulterium et stuprationem, furtum[1]. Non minus crebro etiam ipsum dedecus, cum factis illius modi coniunctum, flagitium vocatur. Exempla, quibus „scortari et potare“ notatur, afferre, supervacaneum est, cum satis multa exstent (cf. Ba. 1207/8; Cas. 911; Men. 605; Adel. 101; alia). — De adulterio ter tantum cogitatur, quantum video:

Ba. 1008/9: Tantum flagitium te scire audivi meum,
Quod cum peregrini cubui uxore militis.

Ba. 1010/11: nam ducentis aureis
Philippis redemi vitam ex flagitio tuam.

Flagitium est infamia adulterii.

Ba. 1045/6: Perisse suaviust
Quam illud flagitium vulgo dispalescere.

Bis ad virginem vitiatam flagitium pertinet apud Terentium:

Ad. 721/2: Fero alia flagitia ad te ingentia
Boni illius adulescentis.

Hoc Demea narrat fratri Micioni et pergit v. 725: „hoc peccatum in virginemst civem“.

Eun. 1013/4: An paenitebat flagiti, te auctore quod fecisset
Adulescens.

Chaerea eunuchi veste indutus ad virginem amatam penetraverat eamque vitiaverat. Nonius igitur non satis recte iudicavisse videtur, cum scriberet: „flagitium veteres

---

[1] Glossae ita explicant: flagitium — ἀτόπημα, βία II, 72, 26; = factum malum aut spurcitia IV, 77, 3; 516, 54; — malum factum, scelestum IV, 343, 21; — factum malum vel crimen proprie militare, sed iam et turpiter et ad vitia, quae molliter fiunt, dictum est hoc nomen V, 295, 23; — adulterium, libido, vitium IV, 237, 46; — deformitas, adulterium, libido, turpitudo IV, 516, 53; — crimen, turpitudo IV, 343, 20; — vitium, probrum, scelus IV, 343, 19; — turpe commissum V, 659, 4; flagitia — vitia V, 295, 13; flagitiae — spurcitiae IV, 77, 32, V, 457, 9; flagitia dicuntur turpia et sordida libidinum crimina V, 23, 28 (Placid.); flagitiorum — turpium peccatorum, quae per libidinem admittuntur V, 201, 12; — adulteriorum V, 424, 42.

vitium, quod virgini infertur, dici voluerunt"; etenim paucissima sunt exempla hac significatione instructa. Non magis ad priscam latinitatem quadrant verba, quae scripta videmus in Georgesii vocabulario magno, flagitium imprimis scelus esse in liberas feminas et matronas factum; neque umquam apud priscos auctores „scelus et flagitium" coniunctum legitur.

Furtum vocatur flagitium:

Amph. frgm. IX, p. 53 ed. min. G. et Sch.:

Manufestum hunc obtorto collo teneo furem flagiti.

As. 852/3: Et ad amicam detulisse argenti viginti minas,
Meoque filio sciente id facere flagitium patrem.

Men. 738/41: Iam ego aperiam istaec tua flagitia. — Sanan es?
Quae mea flagitia? — Pallam atque aurum meum
Domo suppilas tuae uxori et tuae
Degeris amicae.

Cum scelus ex malitia et maxime ex impietate nasci soleat, causae flagitii longe aliae sunt. Ausonius Popma, de differentiis verborum (1708) p. 197: „flagitium fit libidine vel nequitia; unde flagitiosi dicuntur impudici, adulteri, ganeones, aleatores, facinorosi, parricidae, sicarii, sacrilegi, periuri atque id genus alii". Neque vero solum libidine et nequitia homines ad flagitium adducuntur; addendum est etiam simplex peccatum, quod stultitia vel neglegentia vel imbecillitate quadam ingenii et morum factum est et infamiam contrahit, flagitium vocari:

cf. Cas. 549/50: Quid ego nunc faciam? flagitium maxumum feci miser
Propter operam illius irqui improbi edentuli.

Alcesimus senex lamentatur, quod amico auctore Casinam, quam ille deperibat, domum suam recepit atque metuit, ne uxor eam inveniat. Non libidine aut nequitia adductus Alcesimus id fecit, sed stultitia, cum non in tempore consideravisset, se scortantis opinionem adepturum esse, si quis id comperisset. Similiter res se habet Mil. glor. 508/9: Quodque concubinam erilem insimulare ausus es Probri pudicam meque summi flagiti.

Flagitiosum facinus id esset, quod Periplectomenus senex pateretur hospitem suum et amicam militis domi suae osculari et scortari.

Lucil. 615 (M): Contra flagitium nescire, bello vinci a barbaro
Viriato, Hannibale.

Quo loco flagitium ad imbecillitatem respicit.

Commemorandum denique est „flagitium“ item atque „scelus“ transferri ad hominem; non nisi formā „flagitium“, id est vocative vel nominative usurpatur:

As. 473: flagitium hominis, da obsecro argentum huic, ne
male loquatur.

Cas. 150/2: Quando is mi et filio advorsatur suo
Animi amorisque causa sui,
Flagitium illud hominis.

Cas. 552/3: Flagitium hominis, qui dixit mihi
Suam uxorem hanc arcessituram esse.

Men. 489: Flagitium hominis, subdole ac minimi preti.

Men. 708/9: Non te pudet prodire in conspectum meum,
Flagitium hominis, cum istoc ornatu?

De explicando huius modi genetivo cf. p. 16/18. Liceat afferre hoc loco reliquas quoque locutiones flagitii vocabulo compositas, quibus increpatur:

Cas. 158/60: Acheruntis pabulum,
Flagiti † persequentem,
Stabulum nequitiae.

Rud. 753: Vi agis mecum. — Etiam † vim proportas, flagiti
flagrantia?

Truc. 586: Tun me ais impudentem esse, ipsa quae sis
stabulum flagiti?

Postquam vim et usum flagitii satis illustravimus, restat, ut quaeramus, utrum notio mali facti an dedecoris vetustior fuerit. Ex locis, quos contuli, non possumus diiudicare, utra significatio prior exstiterit, cum utriusque idem fere praebeatur numerus exemplorum. Ac ne ex antiquissimo quidem, quod traditum est, exemplo and hanc rem certum aliquid concludere licet, verba dico legis XII tabularum: „Si quis

occentavisset sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri". Lucem igitur huic quaestioni affere non possemus, nisi Usener etymologiam vocabuli, quod tractamus, proposuisset et, quomodo significatio adolescens paulatim mutaretur, ostendisset. Usener sibi persuasit „flagitium" ac „flagitare" cohaerere cum voce „flagellum"[1] neque aliud antiquissimis temporibus notasse nisi „verberationem, caesionem"[2], quod genus puniendi apud milites in usu erat. Deinde „flagitium" factum est convicium publicum, quem ad usum loci nonnulli Plautini respiciunt: Epid. 516: Flagitio cum maiore post reddes tamen. Mer. 405/6: Quia illa forma matrem familias Flagitium sit, sei sequatur, quando incedat

---

[1] cf. R. Mus. 56, p. 4/5.

[2] cf. R. M. 56, p. 15. Ich will kein Gewicht legen auf eine Glosse der Hermeneumata von Montpellier Corp. Gl. III, 336, 113: φιλοδάρτης = plagosus, flagitiosus. Aber ein zweifelloses Zeugnis dafür scheint mir, was Festus Pauli p. 110, 23 berichtet: inter cutem flagitatos dicebant antiqui mares, qui stuprum passi essent; Tertullianus, de pallio 4, interpretiert das sichtlich durch (pugil Cleomachus) inter cutem caesus et ultra. Hier hat also flagitare die ursprüngliche Bedeutung bewahrt, welche die Etymologie erwarten ließ. — Waldius, Lat. Etym.² p. 296, probat Useneri sententiam, quam praebet de significatione convicii; in dubium autem vocat, quod cum „flagello" „flagitium" cohaerere opinatur. Liceat etiam Doederleini sententiam afferre, cum ex etymologia, quam ipse proposuit, significationem antiquissimam eruere velit, quae re vera non reperitur. Vide Doed. II, p. 142: Während flagrum mit plaga und plectere auf πλήγω und πλήσσω zurückzuführen ist, stammt flagitium von flagrare, welches in tropischem Sinne jedes brennende, leidenschaftliche Begehren bedeutet, bald als Lob, wenn der Gegenstand löblich ist, bald und häufiger als Tadel, da die Leidenschaft überhaupt öfter in unedler als edler Gestalt erscheint (Cic. Coel. 5, 12). Hiervon ist flagitare das frequentativum, welches nicht bloß in der ausschließenden Bedeutung von flagrantissime cupere übrig, sondern auch *κατὰ τὸ νοούμενον* gerade wie bisweilen inhiare die Konstruktion jener Phrasis annahm: flagitare rem, statt cupiditate rei flagrare oder flagitare. Daher die Bedeutung von flagitium ursprünglich das leidenschaftliche Begehren, z. B. außer bei Plautus auch noch bei Tacitus, an. I, 27 (quod is . . . credebatur et illa militae flagitia primus aspernari). — Neque vero reperire possum, qui locus Plauti viro illi docto animo obversatus sit; numquam flagitium in prisca latinitate idem valet atque „cupiditas".

per vias. Mer. 416/8: Ea molet, coquet, conficiet pensum, pinsetur flagro: Neque propter eam quicquam eveniet nostris foribus flagiti. Mil. 694 (Praecantrici . . .): Flagitiumst si nil mittetur, quae supercilio spicit. Trin. 612: Flagitium quidem hercle fiet, nisi dos dabitur virgini.

Quae significatio etiam confirmatur usu verborum ab eadem stirpe formatorum, quae sunt flagitare, flagitator, flagitatio. „Flagitare“ verbi obiectum in prisca latinitate semper persona est, numquam res. Plautus hoc verbo utitur, si quis debitorem magna voce admonet, ut pecuniam solvat, semel ita, ut idem sonet ac postulare[1]: Mer. 178: „flagitas me, ut eloquar“. Debitor flagitatur, i. e. increpatur et tanto cum clamore argentum ab eo poscitur, ut omnes, qui praetereunt, audiant eum debere pecunias, et ut magnum ei dedecus inde nascatur[2]; cf. Men. 45/6: Propterea illius nomen memini facilius, Quia illum clamore vidi flagitarier. Pseud. 555/6: si non dabis, Clamore magno et multo flagitabere. Ps. 1145: Sed tu, bone vir, flagitare saepe clamore in foro. Afferendus hic est etiam locus Catonis, cf. Cato, pro lege Voconia, Jordan p. 54, 7: „eam pecuniam viro mutuam dat. Postea, ubi irata facta est, servum recepticium sectari atque flagitare virum iubet“. Semel etiam „difflagitor“ legitur, cf. Epid. 118: „Egomet clamore differor, difflagitor“; quod verbum ultimum sine dubio recte restituit Skutschius pro „diffatigor“ codicibus tradito. Ad eandem rem pertinent vocabula „flagitator“ et „flagitatio“; cf. Cas. 23/4: Eicite ex animo curam atque alienum aes ◡ –, Ne quis formidet flagitatorem suom. Most. 767/8: „Sol semper hic est usque a mani ad vesperum.

[1] Lorenzius, introduct. ad Pseud. p. 26 adn. 24, hunc sensum etiam Pseud. 556 (= 534 Lor.) „si non dabis Clamore magno et multo flagitabere“ et Poen. 539: „neque nos quemquam flagitamus neque nos quisquam flagitat“ inesse putat; sed iniuria, ut mihi videtur; immo his quoque locis verisimilius est de increpando cogitari, cum numquam res indicetur, quae poscitur.

[2] Glossae: flagito — *ἀπαιτῶ βιαίως* II, 232, 41 flagitat — cum clamore interrogat; proprie autem est flagitare debitorem in publico saepius interpellare V, 201, 11; exigit cum violentia V, 295, 35 — commobet vel cum clamore exposcit IV, 343, 18: flagitaverit — *μετὰ βοῆς ἀπαιτήσῃ* II, 72, 25.

Quasi flagitator astat usque ad ostium". „Flagitatio" in prisca latinitate nondum invenitur. Sed Donatus in adnotationibus ad Phorm.[1] 352sq., 384; Eun. 382 hanc vocem usurpavit ad notandum convicium publicum. Ex usu igitur vocabulorum, quae sunt flagitare, flagitator, flagitatio, concludendum est antiquissimis temporibus flagitium idem fuisse atque diffamationem.

Quam ad significationem Usener verba quoque legis XII tabularum revocat[2]: „Si quis occentavisset sive carmen condidisset, quod[3] infamiam faceret flagitiumve alteri; capital esto". Ad illa verba enim glossema est apud Festum p. 180 (Müll.): Occentassit] antiqui dicebant, quod nunc „convicium fecerit" dicimus, quod id clare et cum quodam canore fit, ut procul exaudiri possit. Quod turpe habetur, quod non sine causa fieri putatur".

Ex illa diffamatione ortum esse dedecus; quo accidit, ut notione dedecoris „flagitium" instrueretur[4]. Deinde etiam factum flagitiosum, a quo diffamationis causa erat repetenda, „flagitium" vocabatur, ut ex exemplis intellegitur.

---

[1] Phorm. 352/71: „haec est flagitatio (fatigatio, Wessner) quae etiam nomen tumultuose prosequitur atque exagitat. Ideo callidus sycophanta patris familias proprium nomen non solum invidiose infert, sed etiam repetit". 384: populari quadam vulgarique flagitatione (fatigatione, Wessner) utpote scurra respondit (Phormio).

[2] Si rectum est, quod Us. de etymologia contendit, verisimillimum est „flagitium" hoc loco idem valere atque convicium publicum, quamquam per se significatio „dedecus" non male quadrat. Porro notio flagitii cum notione infamiae in prisca latinitate non ita raro coniunctum invenitur [cf. Ba. 381; Cas. 991; Haut. 1037; Sext. Turp. 162 (R)], ut necesse non sit putare (Scaliger, Usener) „infamiam" postea esse insertum.

[3] „Quod" antiquam ablativi formam esse Us. censet pro „quo".

[4] Us. R M. 56, p. 18 . . . daß in der Sprache der Gebildeten das nunmehr aus dem Zusammenhang der Sitte gelöste Wort „flagitium" wie es scheint, gleichzeitig nach doppelter Seite gewandt wurde, um einerseits die Wirkung des ehemaligen Diffamationsaktes, die Schande und Entehrung, anderseits die Ursache, die rügbare entehrende Handlung zu bezeichnen. Die letzte Bedeutung wurde mit dem letzten Jahrhundert der Republik die vorherrschende, während flagitare im Sinne von ungestüm fordern verwendet und mit sächlichem Objekt verbunden wurde.

Si igitur recte sese habent, quae Usener proposuit, voce „flagitium“ significatur: primum castigatio, verberatio; deinde convicium publicum, diffamatio; tum dedecus: denique flagitiosum factum.

Iam vero transeamus ad tractandum usum vocabuli in ordine verborum. Observamus hoc: cum adiectivis flagitium coniungitur non ita crebro; significatur: I. facinus: Mil. 509 summi flagiti; Poen. 609 magnum flagitium; Cas. 549 flagitium maxumum; Ba. 1208 hoc tantum flagitium; Ad. 721 alia flagitia. II. infamia: Ba. 1032 tantum damni feci et flagiti: Ep. 516 flagitio cum maiore. III. utraque convenit significatio: Cur. 198 flagitium probrumque magnum. Ba. 1008 Tantum flagitium te scire meum.

Cum pronomine flagitium coniunctum est, I. ut facinus, cum pronomine 1. demonstrativo: As. 853 id flag.; Men. 605 istaec fl.: Men. 719, 721, 738 istaec fl.; Ba. 168 istaec fl.; Adel. 379, 408 haecin flag. 2. possessivo: Men. 739 mea fl.; Ba. 376, Men. 735, 738 tua flag.; Haut. 1037 tuis flag.; Ba. 498, Cas. 991 suis flag. 3. interrogativo: Men. 739 quae mea fl. 4. indefinito: Phorm. 770 aliquid flagiti. II. ut infamiam flagitium raro cum pronomine coniunctum invenimus: 1. cum relativo: Pseud. 440 quod damni et quod fecisti flagiti. 2. cum indefinito: Mer. 784 si quid flagiti. 3. cum demonstrativo: Ba. 97 id fl. meum sit. 4. cum possessivo: Ba. 97 id fl. meum sit Poen. 965 tuom fl.; Pseud. 1248 vostrum fl. III. et facinus et infamia convenit: Ba. 1046 illud fl. displicescere. Recte Usener observavit flagitio, si certe significat malum factum, semper fere pronomen vel adiectivum aliquod additum esse et primum apud Terentium Eun. 382 „flagitium facere“ exstare sine pronomine aut adiectivo. Excipiuntur ex hac lege Amph. frgm. IX, p. 53 ed. min.: teneo furem flagiti. Trin. 643 per flag. 1035 pro flag. Haut. 929 per flag.; sed tribus his locis ultimis incertum videtur utrum factum notetur necne.

Cum verbis, quatenus digna sunt, quae memorentur, coniungitur his: I. ut facinus: facere: As. 853; Ba. 1208;

Cas. 549; Men. 605, 721; Poen. 609; Trin. 612 (fiet); Ad. 408; Eun. 382; conficere: Phorm. 770; dedecorare flagitiis: Ba. 498. II. ut infamia: facere: Ba. 1032; Mer. 237, 784; Pseud. 440: complere: Men. 901; opplere: Sext. Turp. 162 (Ri); ardere: Cas. 937; feruit Luc. Pomp. 102 (Ri.); domus feruit flagiti; esse: Ba. 97, 1164: Cas. 903; Poen. 965; Pseud. 1248; Haut. 922; Adel. 101, 112, 422.

Locutionem „flagitium est“ sequitur I. infinitivus vel constructio accusativi c. inf. quae vocatur: Ba. 97/8 id flagitium meum sit, mea te gratia et operam dare mi et . . . Poen. 965: Nam tuom flagitiumst tuas te popularis pati Servire. Haut. 922: Nonne id flagitiumst te aliis consilium dare. Adel. 101/2: non est flagitium, . . ., adulescentulum Scortari neque potare. Adel. 112: Non est flagitium, facere haec adulescentulum? Ad. 422/3: Nam id nobis tam flagitiumst, quam illa, Demea, Non facere vobis quae modo dixti.

II. Enuntiatum condicionale: Mer. 406: Flagitium sit, sei sequatur. Mil. 694: Flagitiumst, si nil mittetur. Pseud. 1248: si cecidero, vostrum erit flagitium. Eun. 382/3: An id flagitiumst, si in domum meretriciam Deducar —.

Flagitium sine copula positum accuratius explicatur: I. infinitivo: Lucil. 615 (M.) contra flagitium nescire, bello vinci a barbaro. II. quod: Ba. 1008/9 Tantum flagitium te scire audivi meum, quod cum peregrini cubui uxore militis. — Declinationis formae occurrunt omnes excepto dativo numeri singularis et nominativo, genetivo, dativo pluralis. — Adiectivum „flagitiosus“ in prisca latinitate nondum usurpatur.

III. Facinus.

Aliud vocabulum, affinitate quadam cum vocabulis „scelus“ et „flagitium“ coniunctum, satis saepe in prisca latinitate occurrit: facinus. Facinus est vox media atque semper aliquo modo indicatur, utrum in bonam an in malam partem accipienda sit. Numquam priscis temporibus ab-

solutum in modum veluti „facinus est" = „scelus est" (cf. Cic. Verr. V, 170 facinus est vinciri civem Romanum) usurpatur.

Si scrutaturi quae vis voci „facinus" infuerit, Georgesii vocabularium magnum inspicimus, haec reperimus: facinus: I. jede (gute oder böse) Handlung, Tat. 1. i. allgem. pulcherrimum, indignum. 2. praegn.: eine böse Tat, Missetat, Untat, Übeltat (hingegen scelus — Schandtat). — Metonym.: 1. die Missetat für das, womit sie verübt wird. 2. Missetäter Sall. Cat. 14. II. übertr.: a) konkret: ein Stück Arbeit, facinus luculentum Pl. Men. 141. b) abstrakt: ein Stück Arbeit, Geschäft, Handel, Streich, Umstand, Sache (cf. Lorenz, Mil. gl. 376)[1]: quod facinus video Rud. 162; non ego istuc facinus mihi conducibile esse arbitror Bacch. 52; inamoenest facinus Trin. 24; humanum facinus factumst so geht es mit den Menschen Truc. 218.

Hae significationes in lexicis omnibus enumerantur; de ratione autem, qua inter se cohaerent, non edocemur. Operae pretium igitur est quaerere, quomodo fieri potuerit, ut significationes, quae primo obtutu satis diversae videntur esse, hac una voce comprehenderentur. Quam ad rem enucleandam principalem vocis significationem spectare debemus; est autem haec, nisi omnia me fallunt, simplex notio faciendi (= das Tun). Quae notio semper convenit exceptis paucis locis iis, ubi „facinus" sensu passivo instructum est; tum germanice vertamus „Geschehnis, Vorgang". Semel etiam ita sensum passivum exhibet, ut de re concreta quam vocamus cogitetur (Men. 141). Si igitur ponimus voci „facinus" inesse simplicem faciendi notionem (= das Tun) eiusque interdum partem passivam, exemplorum ne unum quidem relinquitur, quod non ita possit explicari. Consentaneum est, nos prout „facere" illud iam perfectum

---

[1] Lor. ad Mil. gl. 376 „facinus" bedeutet bei Plautus zuweilen „Ding, Sache", Rud. 161, Men. 141, Ann. 838 (im Wortspiel mit facinus — Tat v. 859), Poen. 901. Bei anderen nie. — Hoc non satis recte dixit Lorenzius; etenim „facinus" instructum vi rei abstractae, si ita dicere licet, exstat etiam apud Accium praet. 27 (Ri. I, p. 284) et apud Terentium.

est vel fit vel fiet adhibituros esse nonnumquam vocabula magis usitata, velut „Tat“, „Leistung, Unternehmen“, „Vorhaben, Plan“. Attamen semper tenendum est has versiones tantum auxilium quoddam esse neque significationes voci innatas sic reddi.

Si exempla omnia ratione temporis habita in certum ordinem redigere et ita significationes statuere conaremur, qua de re forsitan cogitaverit quispiam, in salebras incideremus pessimas; satis enim saepe dubium est, ad quod tempus „facinus“ pertineat. Praeterea versiones modo memoratae, quae tempus respiciunt, non semper aptae sunt; si facinus futurum, ut exemplo utar, statuimus vertendum esse „Vorhaben, Plan“, haec versio non quadrat in verbis Catonis his (cf. Jordan, p. 39, 12): „nefarium facinus peiore facinore operire postulas“. Significatur „das Tun“ his locis:

Amph. 314/5: Pessum⟨um⟩st
Facinus: nequiter ferire malam male discit manus.

Am. 820: Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet.

Am. 858/9: Nimis ecastor facinus mirumst, qui illi conlubitum siet
Meo viro, sic me insimulare falso facinus tam malum.

Am. 1116/7: Alterum altera prehendit eos manu perniciter.
— Mira memoras: nimis formidulosum facinus praedicas.

As. 313/4: Tantum facinus modo inveni ego, ut nos dicamur duo
Omnium dignissumi esse, quo cruciatus confluant.

Aul. 220: Heia, Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis.

Aul. 460/1: di immortales, facinus audax incipit
Qui cum opulento pauper homine †coepit rem habere.

Aul. 587: Hoc est servi facinus frugi facere quod ego persequor.

Aul. 616/7: Di immortales, quod ego hunc hominem facinus audio eloqui:
Se aulam onustam auri abstrusisse hic intus in fano Fidei.

Aul. 733/4: Quia istuc facinus quod tuom
Sollicitat animum, id ego feci et fateor.

Aul. (794: Ego me iniuriam fecisse filiae fateor tuae . . .)
796: Ei mihi, quod facinus ex te ego audio?

Aul. 820/22: Strobilus: Repperi hodie,
Ere, divitias nimias. — Lycon.: Ubinam? — Str.: Quadrilibrem, inquam, aulam auri plenam.
Lyc.: Quod ego facinus audio ex te? — Str.: Euclioni huic seni subripui.

Ba. 52: Non ego istuc facinus mihi, mulier, conducibile esse arbitror.

Ba. 641: Nam duplex hodie facinus feci, duplicibus spoliis sum adfectus.

Ba. 682: Qui in mentem venit tibi istuc facinus facere tam malum.

Ba. 722: Nescis, quid ego acturus sim, neque facinus quantum exordiar.

Ba. 925: Atridae duo fratres cluent fecisse facinus maxumum.

Capt. 752/3: Ego illis captivis aliis documentum dabo,
Ne tale quisquam facinus incipere audeat.

Cist. 231: Potine tu homo facinus facere strenuom?

Curc. 23/4: Numquid tu quod te aut genere indignum sit tuo
Facis aut inceptas facinus facere, Phaedrome?

Epid. 31/32: Serio inquam, hostes habent (sc. arma). —
Edepol facinus improbum. — At iam ante alii fecerunt idem.

Men. 447/8: Numquam quicquam facinus feci peius neque scelestius
Quam hodie, quom in contionem mediam me inmersi miser.

Mer. 154/6: Egon ausim tibi usquam quicquam facinus falsum proloqui?
Quin iam prius quam sum elocutus scis, si mentiri volo.

Mil. 309: Edepol facinus fecit audax.

Mil. 498: Qui facinus tantum tamque indignum feceris.

Mil. 616/22: Pol ita decet hunc facere. — At hoc me facinus misere macerat
Meumque cor corpusque cruciat. — Quid id est quod cruciat? cedo. —
Me tibi istuc aetatis homini facinora puerilia
Obicere ac neque te decora neque tuis virtutibus
A te expetere: †te ex opibus summis mei honoris gratia
Mihique amanti ire opitulatum atque ea te facere facinora,
Quae istaec aetas fugere facta magis quam sectari solet.

Most. 458/9: non potest
Dici quam indignum facinus fecisti et malum.

Most. 776/7: quid mihi fiet tertio,
Qui solus facio facinora inmortalia?

Poen. 308: Eho tu, vin tu facinus facere lepidum et festivom?

Poen. 888/9: Nisi ero meo uni indicasso: atque ei quoque, ut ne enuntiet
Id esse facinus ex ted exortum.

Poen. 1086: Festivom facinus venit mihi in mentem modo.

Pseud. 512: Si abstuleris, mirum et magnum facinus feceris.

Pseud. 541/2: Quis me audacior
Sit, si istuc facinus audeam [facere]?

Pseud. 563/4: Me idcirco haec tanta facinora promittere,
Quo vos oblectem.

Pseud. 576: Nam ea stultitiast, facinus magnum timido cordi credere.

Pseud. 590: Eo sum genere gnatus: magna me facinora decet efficere.

Pseud. 746: Ecquid argutust? – Malorum facinorum saepissume.
Rud. 393/4: O facinus inpudicum,
Quam liberam esse oporteat, servire postulare.
Trin. 23/4: Amicum castigare ob meritam noxiam
Inamoenest facinus.
Trin. 883/4: nomen tuom primum memora mihi. —
Magnum facinus incipissis petere.
Trin. 1030: Di inmortales, basilica hicquidem facinora inceptat loqui.
Truc. 218: Iste id habet quod nos habuimus — humanum facinus factumst.
Truc. 382/3: Sed quod ego facinus audivi adveniens tuom,
Quod tu hic me absente novi negoti gesseris?
Truc. 795: Mea nunc facinora aperiuntur, clam quae speravi fore.
Truc. 809: Iam metuo patres quot fuerint, vide sis facinus muliebre.
Truc. 820: Meum illuc facinus, mea stultitiast: timeo quam mox nominer.
Ennius 284/6 (scen. Vahl.) Medea:
Iuppiter tuque adeo summe Sol, qui res omnis spicis,
Quique tuo cum lumine mare, terram, caelum contines,
Inspice hoc facinus, priusquam fiat, prohibesseis scelus.
Ennius, Ann. 243/4 (Vahl.):
Ingenium cui nulla malum sententia suadet
Ut faceret facinus, levis, haud malus, doctus, fidelis.
Accius 189 (Ri.): Priusquam infans facinus oculi vescuntur tui.
Accius 636/9 (Ri.): Tereus indomito more atque animo barbaro
Conspexit eam: hinc amore vecors flammeo,
Depositus facinus pessimum ex dementia
Confingit.
Cato, frgm. Jordan, p. 39, 12 nefarium facinus peiore facinore operire postulas.
Caecilius Stat. 213/4 (Ri.): in civitate fiunt facinora capitalia:
[Nam] ab amico amante argentum accipere meretrix noenu volt.

Andr. 145/6: Indignum facinus comperisse, Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam.

And. 401: Nam pollicitus sum suscepturum. — O facinus audax.

And. 767: O facinus animum advortendum!

Quae verba exclamat Davos, ut Mysis puerulum supposuisse videatur.

Haut. 220: Perii! is mi, ubi adbibit plus paulo, sua quae narrat facinora.

Haut. 600: Vah, vide quod inceptet facinus.

Eun. 70/1: Indignum facinus! nunc ego
Et illam scelestam esse et me miserum sentio.

Eun. 644: Hocine tam audax facinus facere esse ausum!

Eun. 664: Perii! obsecro, tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem.

Eun. 943: Pro deum fidem, facinus foedum!

Eun. 958/9: Qua audacia
Tantum facinus audet?

Phorm. 156: Rogitas? qui tam audacis facinoris mihi conscius sis?

Phorm. 232/3: non simultatem meam
Revereri saltem! non pudere! o facinus audax, o Geta.

Phorm. 511: Vendidit. — Quam indignum facinus!

Phorm. 1008 (1005 uxorem duxit):
Pro di inmortales, facinus miserandum et malum!

Adel. 173: O indignum facinus!

Ita lamentatur Sannio leno, cum vapulet.

Adel. 447/9: Pro di inmortales, facinus indignum, Geta,
Quod narras! — Sic est factum. — Ex illan familia
Tam inliberale esse ortum facinus!

Adel. 669 [662: Quid illam ni abducat? ...] Facinus indignum, pater.

Adulescenti virginem eripere facinus indignum est.

Ex pall. incert. 39 (Ri.): non edepol quantam rem egeris, neque quantum facinus feceris.

Ex trag. incert. 64/6 (Ri.): Facinus fecit maxumum, cum Danais inclinantibus
Summam perfecit rem, manu sua restituit proelium
Insaniens.

Adiciam denique exempla tria, ubi fortasse non primo obtutu notio, quam defendimus, apparet.

Am. 858/9: Nimis ecastor facinus mirumst, qui illi conlubitum siet
Meo viro, sic me insimulare falso facinus tam malum.

Mil. 377: Nimis mirumst facinus, quo modo haec hinc huc transire potuit.

Mil. 418: Sed facinus mirumst, quo modo haec hinc huc transire potuit.

Etiam his locis voci „facinus" simplicem faciendi notionem subiectam esse arbitror; mirum est, quod „facit" vir, cum insimulet uxorem; item mirum in modum fecit mulier, (Mil. 377, 418) cum ex domo una transiret clam in alteram.

Magno illo numero exemplorum, quae sensum activum exhibent, pauca tantum opponuntur sensu passivo instructa, quae dividantur in partes duas: primum exempla, in quibus infinitivo aliquo genus passivum indicatur, deinde, in quibus omnino significatur aliquid accidisse. Generis primi sunt haec:

Men. 131/2: Sic hoc decet, dari facete verba custodi catae:
Hoc facinus pulcrumst, hoc probumst, hoc lepidumst, hoc factu⟨m⟩st fabre.

Men. 1004/6: O facinus indignum et malum,
Epidamnii cives, erum
Meum hic in pacato o⟨p⟩pido
Luci deripier in via.

Accius, praet. 25/28 (Ri):
Exim prostratum terra, graviter saucium,
Resupinum in caelo contueri maximum,
Mirificum facinus: dextrorsum orbem flammeum
Radiatum solis liquier cursu novo.

Phorm. 613/4: facinus indignum, Chremes, sic circumiri!
Afranius 52/4 (Ri):

O dignum facinus! adulescentis optumas
Bene convenientes ⟨bene⟩ concordes cum viris
Repente viduas factas spurcitia patris.

Alterius generis exempla:

Poen. 901: Nimium lepidum memoras facinus.

Syncerastus narraverat meretrices duas de praedone Siculo emptas ingenuas esse et quidem Carthaginienses.

Mil. 281/2: Nescis tu fortasse apud nos facinus quod natumst novom. —
Quod id est facinus? — Impudicum.

Accuratius explicatur hoc „facinus" v. 288:

Atque ego illi aspicio osculantem Philocomasium cum altero
Nescioquo adulescente.

Rud. 162/8: Quod facinus video? – Quid vides? – Mulierculas
Video sedentis in scapha solas duas.
Ut adflictantur miserae.

Videt Sceparnio, quomodo mulieres in scapha sedentes tempestate vexentur.

Andr. 854: Immo vero indignum Chremes, iam facinus faxo ex me audies.

Facinus hoc est: senex quidam venit, qui scit Glycerium esse civem Atticam.

Phorm. 869/70: Hic pulcherrimum
Facinus audivi, itaque paene hercle exclamavi gaudio.

Geta audivit Antiphonis patruum patrem Phanii, quam virginem Antipho in matrimonium duxerat, inventum esse.

Hec. 376/7: Postquam aspexi, „oh facinus indignum" inquam et corripui ilico
Me inde lacrumans.

Parturire uxorem Pamphilus vidit. — Accedit denique locus ille unus Men. 141, ubi facinus, ut quasi res quaedam perfecta, idem est atque res concreta:

Men. 141/4: Vin tu facinus luculentum inspicere? — Quis id coxit coquos?
Iam sciam, si quid titubatumst, ubi reliquias videro. —
Dic mihi, enumquam tu vidisti tabulam pictam in pariete,
Ubi aquila Catameitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?

Primum facinus refertur ad cenam, deinde ad picturam. — Postquam ostendimus, quae notio prima „facinori" ut voci mediae infuerit, progredi liceat ad perlustrandas singulas significationes et malas et bonas. Malefacta gravia, ad quae pertinet „facinus", indagantur haec: caedes liberorum: Ennius, scen. 234/6 (Vahlen): Medea:

Iuppiter tuque adeo summe Sol, qui res omnis spicis,
Quique tuo cum lumine mare, terram, caelum contines,
Inspice hoc facinus, priusqum fiat, prohibesseis scelus.

Adulterium, stuprum:

Amph. 820/1: Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet.
Tu si me impudicitiai captas, capere non potes.

Am. 859: Sic me insimulare falso facinus tam malum.

Accius 636/8 (Ri): Tereus indomito more atque animo barbaro
Conspexit eam: hinc amore vecors flammeo,
Depositus facinus pessimum ex dementia
Confingit.

Aul. 733/4: Quia istuc facinus, quod tuom
Sollicitat animum id ego feci et fateor.

Verba sunt adulescentis Lyconidis, qui putat Euclionem comperisse filiam a se vitiatam esse.

Aul. 796: Eucl.: Ei mihi, quod facinus ex te ego audio?

Truc. 795: Mea nunc facinora aperiuntur, clam quae speravi fore.

Truc. 820: Meum illuc facinus, mea stultitiast. timeo, quam mox nominer.

Pertinet facinus ad vitiatam virginem.

Eun. 644: hocine tam audax facinus facere esse ausum!
Eun. 664: Perii! obsecro, tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem.

Chaerea adulescens eunuchi vestimentis indutus in domum puellae amatae intravit eamque stupravit.

Phorm. 1008: Pro di immortales, facinus miserandum et malum!

Lamentatur Nausistrata, cum audiverit maritum in Lemno alteram habuisse uxorem et ex illa filiam esse natam. —

Poena adulteri:

Eun. 943: Pro deum fidem, facinus foedum! infelicem adulescentulum!

Eun. 957/9: Nunc minatur porro sese id quod moechis solet:
Quodque ego numquam vidi fieri neque velim. — Qua audacia
Tantum facinus audet?

Fraus:

Capt. 752/3: Ego illis captivis aliis documentum dabo,
Ne tale quisquam facinus incipere audeat.

Ita senex Hegio loquitur, cum Tyndareus servus eum frustratus sit. — Incertum est, ad quod malum factum spectent exempla haec:

Ennius, ann. 243/4 (Vahlen):
Ingenium cui nulla malum sententia suadet
Ut faceret facinus, levis, haud malus, doctus, fidelis.

Accius 189 (Ri): Priusquam infans facinus oculi vescuntur tui.

Cato, frgm. Jordan, p. 39, 12: nefarium facinus peiore facinore operire postulas.

Subiciuntur igitur voci „facinus": caedes, adulterium, stuprum, fraus, poena adulteri.[1]

---

[1] Glossae „facinus" sic explicant: facinus — *δρᾶμα ἐπὶ ἀτοπήματος* II, 280, 43; *ἀτόπημα* II, 250, 20; *δρᾶμα, δυσσέβημα* II, 69, 55; omne factum V, 22, 12; nunc scelus, alias factum V, 534, 28 (Ter. Eun. 70); scelus vel malum factum IV, 340, 42; scelus, factum IV, 236, 36 (= Nonius 309, 28; 310, 5); maleficium aut scelus IV, 516, 51; errantium (?) ignominia IV, 340, 43; facinora — scelera IV, 74, 24 (Ter. Haut. 220); crimina scelesta IV, 236; crimina, factiones IV, 516, 52; facinus indignum — non dignum factum est IV, 411, 22 (Ter. Andr. 145; Eun. 70). — Isidorus, Etymol. V, c. 26 facinus dictum a faciendo malum, quod noceat alteri.

Multo maior numerus est exemplorum, quibus non de re gravi agitur, sed significatio propius accedit ad id, quod nostro sermone dicimus „(schlechter) Streich“. Quam significationem paucis exemplis sufficiat illustrare.

As. 313/4: Tantum facinus modo inveni ego, ut nos dicamur duo
Omnium dignissumi esse, quo cruciatus confluant.

Leonida servus Libano conservo narrare vult, quomodo Sauream argento possint defraudare, quod affert pro asinis venditis.

Aul. 220/1: Heia Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis,
Ut inopem . . . inrideas.

Ba. 682: Qui in mentem venit tibi istuc facinus facere tam malum?

Servus adulescentem vituperat, quod argentum, quo meretricem liberare voluit, patri reddidit.

Men. 447: Numquam quicquam facinus feci peius neque scelestius
Quam hodie, quom in contionem mediam me inmersi miser.

Pseud. 541/2: Quis me audacior
Sit, si istuc facinus audeam facere?

i. e. si Simonem senem argento defraudat.

Haut. 220: Perii! is mi, ubi adbibit plus paulo, sua quae narrat facinora!

Andr. 401: nam pollicitus sum suscepturum (puerum). — Dav: O facinus audax!

Phamphilus, postquam gravidam fecit virginem, nunc iram patris sui metuit; Davos vituperat adulescentis levitatem et stultitiam.

Adel. 447/8: Pro di immortales, facinus indignum, Geta,
Quod narras.

Pertinent haec verba ad psaltriam lenoni vi ereptam; item:

Ad. 448/9: ex illan familia
Tam inliberale esse ortum facinus!

Phorm. 511: Vendidit. — Quam indignum facinus! ancillam aere emptam meo.

Porro „facinus“ satis saepe in bonam partem accipitur et significat aliquid magnum et admiratione dignum. Vide:

Ba. 641: Nam duplex hodie facinus feci, duplicibus spoliis sum adfectus.

Ba. 722: Nescis, quid ego acturus sim neque facinus quantum exordiar.

Ba. 925/6: Atridae duo fratres cluent fecisse facinus maxumum,
Quom Priami patriam Pergamum . . .

Cist. 231: Potine tu homo facinus facere strenuom?

Men. 132: Hoc facinus pulcrumst, hoc probumst; hoc lepidumst, hoc factu⟨m⟩st probe.

Most. 777: Qui solus facio facinora inmortalia.

Poen. 308: Eho tu, vin tu facinus facere lepidum et festivom?

Pseud. 511/12: Certe edepol scio:
Si abstuleris, mirum et magnum facinus feceris.

Pseud. 563/4: Me idcirco haec tanta facinora promittere,
Quo vos oblectem.

Pseud. 576: Nam ea stultitiast, facinus magnum timido cordi credere.

Pseud. 590: Eo sum genere gnatus: magna me facinora decet efficere.

Trin 1030: Di inmortales, basilica hicquidem facinora inceptat loqui.

Ex pall. incert. 39 (Ri): Non edepol quantam rem egeris, neque quantum facinus feceris.

Ex trag. incert. 64/6 (Ri):
Facinus fecit maximum, cum Danais inclinantibus
Summam perfecit rem, manu sua restituit proelium
Insaniens.

Ut iam ex collectis exemplis cognosci potuit, facinus etiam exclamationis vice fungitur, neque vero aeque atque „scelus“ ita, ut sine ullo additamento exclametur: „o facinus, o facinora“, id quod posteris demum temporibus in usum receptum est (cf. Tacitus, Ann. XI, 34: o facinus, o scelus!)

sed semper adiectivum additur. Si quaerimus, quem in modum numerus exclamationum, de quibus agitur, distributus sit in Plautum et Terentium, apparet ter tantum illum vocabulo ita esse usum, hunc undecies. Magis magisque igitur aetate Terentii haec exclamatio in sermonem cottidianum recepta est. Exempla occurrunt haec: Epid. 32: o facinus impudicum; Men. 1004: o facinus indignum et malum; Rud. 393: o facinus impudicum; Adel. 173: o indignum facinus; Ad. 447: pro di inmortales, facinus indignum, Geta; Ad. 669: facinus indignum, pater; Phorm. 511: Quam indignum facinus; Phorm. 613: facinus indignum, Chremes; Hec. 376: oh, facinus indignum; Andr. 401: o facinus audax; Phorm. 233: o facinus audax; Andr. 767: o facinus animum advortendum; Eun. 943: pro deum fidem, facinus foedum; Phorm. 1008: pro di inmortales, facinus miserandum et malum; L. Afranius 52/4 (Ri): o dignum facinus! adulescentis optumas, Bene convenientes [bene] concordes cum viris, Repente viduas factas spurcitia patris.

Numquam facinus in bonam partem acceptum exclamationis vim exhibet; semper de malo facto cogitatur. Neque Afranii versus hac ex lege excipitur, cum manifestum sit „dignum facinus“ ironice esse dictum.

Quoniam semper adiectivum vel pronomen voci „facinus“ apponebatur, adiectivis quoque et pronominibus cum ea coniunctis animum intendere opus est. Ex numero adiectivorum elucent: indignum, audax, malum, quae saepius quam reliqua facinori adiciuntur. Praevalente usu illo adiectivorum, quae vi mali instructa sunt, factum est, ut posteris temporibus „facinus“ in malam partem accipi posset etiam omisso illius modi adiectivo. „Indignum“ exstat locis his: Cur. 23; Men. 1004; Mil. 498; Most. 459; Andr. 146, 854; Adel. 173, 447, 669; Phorm. 613; Hec. 376. „Audax“ Aul. 460; Mil. 309; Andr. 401; Eun. 644; Phorm. 156, 233. „Malum“ Ba. 682; Men. 1004; Most. 459; Phorm. 1008; peius et scelestius: Men. 447; peius: Cato, frgm. Jord., p. 39, 12; pessumum: Am. 314; L. Accius 638 (Ri.). Reliqua adiectiva: formidulosum Am. 1117; infandum Eun. 664; infans Accius 189 (Ri.);

nefarium, Cato, Jord. p. 39, 12; haud decorum Aul. 220; impudicum Mil. 282; Rud. 393; puerilia Mil. 618; inamoenum Trin. 24: mirum Am. 858; Mil. 377, 418; Pseud. 512; inliberale Ad. 449; muliebre Truc. 809; conducibile Ba. 52; capitalia Caecil. Stat. 213; falsum Mer. 154; tale Capt. 753: lepidum Poen. 308, 901; Men. 132; luculentum Men. 141; festivom Poen. 308, 1086; humanum Truc. 218; pulcrum et probum Men. 132; pulcherrumum Phorm. 870; duplex Ba. 641; strenuom Cist. 231; novom Mil. 281; quantum Ba. 722; incert. 39 (Ri.); tantum As. 313; Pseud. 563; Mil. 498; Eun. 959; magnum Pseud. 512, 576, 590; Trin. 884: Haut. 314; maxumum Ba. 925; incert. 64 (Ri.); immortalia Most. 777; basilica Trin. 1030.

Sequatur conspectus pronominum, quibuscum facinus coniungi solet: I. demonstrativum: hoc: Aul. 587; Men. 132; Mil. 616: Ennius, scen. 236 (Vahl.): Eun. 644; id: Poen. 889; ea: Mil. 621; illuc: Truc. 820; istuc: Am. 820; Aul. 733; Ba. 52, 682; Pseud. 542; II. indefinitum: quicquam: Men. 447; Mer. 154; III. interrogativum: quod: Aul. 616, 796, 822; Mil. 281; Rud. 162; Truc. 382; Haut. 600; quae: Haut. 220; IV. possessivum: meum: Truc. 820; mea: Truc. 795; sua: Haut. 220; V. relativum: quod: Am. 820; Aul. 733; Cur. 23/4; Mil. 821; Adel. 447; quae: Truc. 795.

Ut plenitudo quaedam et absolutio rei exsistat, breviter etiam verba tractemus, quibuscum una „facinus" invenitur. „Admittere et committere facinus", quae locutiones in aurea quae dicitur latinitate satis usitatae sunt, apud priscos auctores numquam usurpantur. Longe saepissime adhibetur figura quae vocatur etymologica: „facinus facere" cf. Aul. 220, 733; Ba. 641, 682, 925; Cist. 231; Cur. 24; Men. 447: Mil. 309, 498; Most. 459, 777; Poen. 308; Pseud. 512, [542 ⟨facere⟩]; Truc. 218; Caec. Stat. 213; Ennius, ann. 244 (Vahl.); ex pall. incert. 39; ex trag. incert. 64 (Ri.); Eun. 644; Haut. 314. Animadvertendum est Terentium rarissime figura etymologica usum esse, unde apparet in eruditorum hominum sermone rhetoricam illam artem non tantopere appeti quantopere in vulgari Plauti.

Semel legitur „facinora efficere“ Pseud. 590 et „facinus pessimum ex dementia confingit“ Accius 638 (Ri.). Verba sentiendi exstant haec: audire Aul. 796, 822; Truc. 382; Andr. 854; Eun. 664; Phorm. 870; comperire Andr. 145; videre Rud. 162; Truc. 809; inspicere Men. 141; Ennius, scen. 236 (Vahlen); vesci (= iterum videre, Nonius) Accius 189 (Ri.); invenire As. 313; venit in mentem Poen. 1086; verba dicendi: praedicare Am. 1117; proloqui Mer. 154; eloqui Aul. 615; loqui Trin. 1030; memorare Poen. 901; narrare Haut. 220; reliqua, quorum obiectum est facinus: incipere Aul. 460; Capt. 753; incipissis petere Trin. 884; inceptare Haut. 600; inceptas fac. facere Cur. 24; operire Cato, frgm. Jord. p. 39, 12; exordiri Ba. 722; promittere Pseud. 563; cordi credere Pseud. 576; obicere Mil. 618; fac., quod insimulas Am. 820; „facinus“ subiecti locum obtinet locis his: non decet Am. 820; natum est Mil. 281; macerat Mil. 616; exortum est Poen. 889; aperiuntur Truc. 795; ortum est Ad. 449; copula „est“ cum voce quam tractamus coniuncta est apud Plautum tantum: Am. 314/5, 858; Ba. 52; Men. 132; Mil. 377, 418; Trin. 24; Truc. 820.

Interdum a voce „facinus“ pendet infinitivus vel constructio accusativi cum infinitivo quam vocamus.

cf. Aul. 587/8: Hoc est servi facinus frugi, facere quod ego persequor.

Aul. 615/6: Di inmortales, quod ego hunc hominem facinus audio eloqui:
Se aulam onustam auri abstrusisse hic.

Rud. 393/4: O facinus inpudicum,
Quam liberam esse oporteat, servire postulare.

Andr. 145/6: . . . clamitans
Indignum facinus comperisse, Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam.

Phorm. 613/4: facinus indignum, Chremes,
Sic circumiri!

Men. 1004/6: o facinus indignum et malum,
Epidamnii cives, erum
Luci deripier in via.

Afranius 52/4 (Ri.): o dignum facinus! adulescentis optumas
Bene convenientes [bene] concordes cum viris
Repente viduas factas spurcitia patris.

Si complectimur, quae adhuc exposuimus, summa haec erit: antiquissima facinoris significatio est „das Tun“ et „Geschehnis“, quo redeunt omnes, quibus nunc uti consuevimus, significationes. Addenda porro haec: in prisca latinitate, quod ad mala facta attinet, saepius leviora malefacta quam graviora notantur. Numquam facinus sine aliquo additamento invenitur; semper adicitur vel adiectivum vel pronomen vel enuntiatum relativum. Numquam apud priscos auctores „facinus“ per se significare potest scelus. Ubi exclamationis vice fungitur, semper in malam partem accipitur; „indignum facinus“ locutio sermonis cottidiani videtur fuisse. Plautus facinus ut exclamationem usurpat raro, crebro Terentius; hoc paulatim ergo tunc temporis in usum receptum est. Non est denique obliviscendum Terentium figuram etymologicam raro adhibere, Plautum saepissime[1].

Relinquitur, ut inquiramus, quae vis ingenii ad faciendum facinus valeat. Ad hoc explicandum optime proficiscimur a duobus locis his:

Pseud. 541/2: Quis me audacior
Sit, si istuc facinus audeam ⟨facere⟩?

---

[1] Breviter etiam memorem, quae Ramshorn et Doederlein de voce „facinus“ scripserunt: Ramshorn I, p. 296. Facinus die Tat als die in die Sinne fallende Wirkung, die ein freihandelndes Wesen außer sich hervorbringt und wodurch es Größe des Charakters, es sei im Guten oder (gewöhnlich) im Bösen, offenbart: eine Großtat, Untat. — Doederlein II, p. 146, 12: Aber ist facinus stärker oder schwächer als scelus? — beides. In seiner gewöhnlichen Bedeutung bezeichnet facinus nur eine auffallende, außerordentliche Tat, z. B. Plautus, Aul. 220, und ist insofern schwächer als scelus, weil das Verdammungsurteil euphemistisch oder aus anderen Gründen zurückbehalten wird, so Cic. Verr. V, 66. Tacit. ann. XI, 34 o facinus! o scelus! bei facinus denkt man zunächst nur an die audacia des Täters, bei scelus an die malitia (cf. p. 7). Sofern aber facinus vorzugsweise in bösem Sinne gebraucht wird, ist es gleich stärker als scelus und bedeutet ein außerordentliches scelus, wie Untat.

Eun. 958/9: qua audacia
Tantum facinus audet?

Quibus ex verbis intellegitur audacia opus esse, ut facinus fiat, et malum et bonum. Et si audacia opus est, non potest fieri, quin magnum aliquid sit; ergo magni facti color facinori solet inesse. Satis saepe „audax“ et „facinus“ coniunguntur, ut supra iam ostendimus. Quamquam non in omnibus exemplis hic color apparet; semel enim stultitia causa mali facinoris videtur esse, cf. Truc. 820. „Meum illuc facinus, mea stultitiast: timeo quam mox nominer“. Aus. Popma (de differentiis verborum, p. 197) de notione facinoris pauca tantum facit verba: „facinus, flagitium, scelus hoc differunt, quod facinus vi aut malitia committitur“. Quae definitio scilicet minime sufficit; etiam fugit hunc virum doctum notionem audaciae plurimum valere. Quin iam in prisca latinitate „facinus“ in malam partem acceptum praevalere coeperit, id quod perlustratis exemplis facile cognoscitur, dubium esse non potest. Neque vero ad hoc res pervenerat, ut Plautus eundem in modum atque Tacitus dicere posset: o facinus! o scelus! Certe adiectivum erat addendum.

Paulo clarius forsitan facinoris notio eluceat, si observamus, quid ei commune sit cum vocibus factum, malefactum, maleficium, et qua re ab his differat. Si consideramus Mil. gl. 621/2: „te facere facinora, quae istaec aetas fugere facta magis quam sectari solet“ — voce „facta“ iteratur „facinora“, ut saepe in enuntiatis latinorum relativis — et Aul. 220: „Heia Megadore, haud deoorum facinus tuis factis facis“ cognoscimus, quod attinet ad rem, et voce „facinus“ et „factum“ idem notari, sed differre voces eo, quod „facinus“ est factum ex ceteris excellens; alienum esset ab usu linguae, si quis diceret: „haud decorum factum tuis facinoribus“ vel „facere facta, quae facinora fugere . . .“ „Factum“ latius patet quam facinus; participii quoque vis interdum perlucet. Saepissime factum, numquam facinus, ita usurpatur, ut res facta opponatur verbo dicto, id quod probari sufficiat exemplis his:

Am. 926/7: Nunc quando factis me impudicis abstinei,
Ab impudicis dictis avorti volo.

Capt. 303: Memini quom dicto haud audebat, facto nunc laedat licet.

Capt. 429: Istaec dicta te experiri et opera et factis volo.

Mer. 554: Hoc ut dico factis persequar.

Most. 198/9: ut vera haec credas
Mea dicta, ex factis nosce rem: vides quae sim.

Most. 923: Egone te ioculo modo ausim dicto aut facto fallere?

Per. 495: Bene dictis tuis bene facta aures meae auxilium exposcunt.

Pseud. 108: Utinam quae dicis dictis facta suppetant.

Sti. 280: Propera, Pinacium, pedes hortare, honesta dicta factis.

Eun. 941: Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus,
Ulciscar.

Suo iure commemorantur hoc loco etiam versus hi:

As. 162: Magis istuc percipimus lingua dici quam factis fore.

Ba. 64: Animum fodicant, bona destimulant, facta et famam sauciant.

Capt. 405: Neque med umquam deseruisse te neque factis neque fide.

Rud. 11: Qui facta hominum, mores, pietatem et fidem
Noscamus.

Rud. 935: Monimentum meae famae et factis.

Ba. 704: Quid mihi refert Chrysali nomen nisi factis probo.

Cas. 286: Sed nihil est me cupere factum, nisi tu factis adiuvas.

Poen. 307: Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant.

Truc. 179: Facta atque corda in felle sunt sita atque acerbo aceto.

Cum in vocabulo „facinus“ plerumque de auctore eiusque de audacia cogitetur, „factum“ magis attinet simpliciter ad rem, quae accidit.

cf. Cas. 685/6: Ludo ego hunc facete:
Nam quae facta dixi, omnia huic falsa dixi.

Mil. 859/60: Perii: excruciabit me erus, domum si venerit,
Quom haec facta scibit, quia sibi non dixerim.
Adel. 471/2: ubi scit factum, ad matrem virginis
Venit ipsus ultro.

„Factum“ congruit cum facinore eo, quod et malum et bonum factum potest significare; veluti de gloriosis factis cogitatur:

Mil. 57: Virtute et forma et factis invictissumum.
Mil. 1021: Quid ego? hic astabo tantisper cum hac forma et factis sic frustra.
Mil. 1042: hominem tam pulcrum et praeclarum virtute et forma et factis.
Am. 1140: Suis factis te immortali adficiet gloria.
Cur. 441: factis monimentum suis.
Sti. 305: Contundam facta Talthubi contemnamque omnis nuntios.
Eun. 1090: et conlaudavi secundum facta et virtutes tuas.

In malam partem „factum“ accipitur velut:

As. 862/3: Verum hoc facto sese ostendit, qui quidem cum filio. Potet una.
Am. 816: Tute edictas facta tua: ex me quaeris quid deliqueris.
Phorm. 731: Ita patrem adulescentis facta haec tolerare audio violenter.
Phorm. 931/2: etiam nunc credis te ignorarier
Aut tua facta adeo?

Si quaerimus deinde, quibuscum adiectivis „factum“ soleat coniungi, haec notabilis res nobis apparet nullum fere adiectivum voci „factum“ additum esse, nisi quo malum aliquod notatur. Vide exempla: Am. 1085: foedis factis; Men. 590: factis plurumisque pessumisque; Mil. 192: delenifica facta; Mil. 734: scelesta facta; Most. 1171: factis pessumis; Truc. 555: improba facta; Truc. 822: mala facta; Lucilius 140 (M): facta nefantia; 1014: tuis factis saevis. Excipiuntur ex ea lege sola exempla haec: As. 451: non mirum factumst; Mer. 482: hau mirumst factum; Rud. 345: pol haud miranda facta dicis.

Ennius, epigr. (varia 16 Vahl): Hic vestrum panxit maxima facta patrum. Etiam hic figura etymologica scilicet saepe adhibita est: Am. 893: quod feci factum; Ba. 379: puditumst factis quae facis; Ba. 1016: facere quoius me nunc facti pudet; Mil. 734: scelesta facerent facta; Truc. 554/5: qui facit | †Improba facta amator; Truc. 730: facta infecta facere; Am. 1084/5: insanum facit | suis foedis factis; Aul. 220: tuis factis facis; Mer. 855: confidentem tuis factis facis; Trin. 279: feceris par tuis ceteris factis; Hec. 857: factis ut credam facis; Phorm. 430: tuis dignum factis feceris.

Notabile est, quam raro hanc quoque figuram etymologicam Terentius usurpaverit. „Malefactum" deinde non differt a facinore in malam partem accepto; non tanta vis ei videtur inesse, cum careat colore magni facti, ad quod efficiendum opus est audacia. Exempla omnia afferre supervacaneum est. Unum autem locum non omittam, cum ibi clare ostendatur, quae singulae res sub malefactum subiciantur, dico As. 567/75:

„Verum edepol ne etiam tua quoque malefacta iterari multa
Et vero possunt: ubi sciens fideli infidens fueris,
Ubi prensus in furto sies manufesto et verberatus,
Ubi periuraris, ubi sacro manus sis admolitus,
Ubi eris damno ⟨et⟩ molestiae et dedecori saepe fueris,
Ubi creditum quod sit tibi datum esse pernegaris,
Ubi amicae quam amico tuo fueris magis fidelis,
Ubi saepe ad languorem tua duritia dederis octo
Validos lictoris, ulmeis adfectos lentis virgis".

Exempla cetera: Am. 285; Cas. 155; Capt. 682; Epid. 392: Men. 595; Most. 458, 1111; Trin. 185; Truc. 774; Ennius, scen. 226, 409 (Vahl.); Pacuv. 129 (Ri): Titin. 69 (Ri). Animadvertendum est Terentium bis tantum hac voce usum esse: Andr. 23; Adel. 200.

„Maleficium" denique ter tantum in prisca latinitate invenitur et, quantum videre possumus, idem sonat atque malum factum vel malum facinus.

Rud. 1247: Ne conscii sint ipsi malefici[is] suis.
Truc. 501: †cui adhuc ego tu mala meam emonet ruria me maleficio vincerest.
Phorm. 336: pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.

Adiectivum „facinorosus" prisci auctores nondum exhibent.

Sequatur conspectus formarum, quibus facinus usurpatum est:

Sing.:	nom.: Ba. 682.	Plur.:	nom.: Fruc. 795.
	gen.: Phorm. 156.		gen.: Pseud. 746.
	dat.: —		dat.: —
	acc.: Ba. 925.		acc.: Most. 777.
	abl.: Cato, frgm. Jord. p. 39, 12.		abl.: —

Pro ablativo pluralis formam „facti" supponi posse suspicor; cf. Men. 590 pro eius factis plurumis pessumisque.

Vita.

Maximilianus Reichenbecher Ienensis natus sum Kahlae in oppido Thuringiae a. d. VI. kal. Nov. anni p. Chr. n. MDCCCLXXXVIII patre Augusto, matre Ludovica e gente Knabe. Postquam Ienae annos quattuor mensesque sex gymnasii disciplina usus sum, transii Portam (Schulpforte), quod gymnasium situm est prope urbem Naumburg. Ubi iterum annos quattuor et unum semestre versatus maturitatis testimonium adeptus sum. Deinde Monachii menses sex et Ienae annos tres mensesque sex litteris philologicis et historicis operam dedi. Docuerunt me viri doctissimi Monacenses: Cornelius, Crusius, Jacobsohn, Otto, Rothenbücher, Streitberg, Wolters; Ienenses Delbrueck, Desdouits, Diehl, Goetz, Gräf, Hirzel, Hoepffner, Judeich, Leitzmann, Liebenam, Liebmann, Lietzmann, Mentz, Michels, Rein, Stoy, Weber, Weinel, Wiese, Wilhelm. Ienae cum proseminarii philologici sodalis fuissem, ascitus sum inter sodalis ordinarios seminarii philologici, cuius in exercitationibus duo semestria moderantibus G. Goetzio atque R. Hirzelio, viris illustrissimis, versatus sum. Quibus viris omnibus, quippe qui studiorum meorum fautores fuerint benevolentissimi, gratias habeo maximas, imprimis G. Goetzio, magistro carissimo, cuius consilio etiam in hac dissertatione conscribenda benigne sum adiutus.